

illius. Nam per Prophetam Esaiam (cap. 43.) Dominus ait. *Ego sum qui deleo iniquitates tuas, & memor non ero. Tu autem memor esto, & iudicemur.* Ecce qua conditione, iniquitatum peccatoris se immemorem pollicetur: videlicet, si ille memor fuerit, David ergo pactum admittit: conditionem offert, dicens: *Et peccatum meum contra me est semper.* Promissum exigit, dicens: *Miserere mei.* Cave ergo ne peccatorum tuorum immemor existas, ne projicias ea post tergum, sed ante oculos ea statue: ut eorum malitia perspecta, ea plenius detestari valeas: & sic projiciat ea Deus post tergum suum, & miseretur tui Jesus Christus filius Dei, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA IX.

Tibi soli peccavi, & malum coram te feci.

Justum est, ut quisque ab illo veniam petat, cui injuriam intulit. David qui a solo Deo misericordiam postulavit, causam cur id faciat, nunc prodit, dicens: *Tibi soli peccavi.* A te solo peto misericordiam: quia te solum me offendisse cognosco. Sed hic scrupulus urget non parvus, quomodo verum esse potest, ut in solum Deum peccasse dicatur, qui innocentem interfecit, & adulterium commisit? Nonne hoc etiam est peccare in proximum? In hujus versiculi expositione varie defudatum est à diversis. Nam alius aliam reddit interpretationem.

Et licet quælibet earum vera sit, nescio tamen an eorum aliqua sit satis litteræ conveniens, & quæ vere & plenè litteræ sensum reddat. Nam Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, Chrysostomus, Gregorius, Casiodorus, qui omnes hunc psalmum interpretantur, & eorum aliqui specialibus de hoc psalmo libelis editis (omitto alios, qui digni non sunt ut cum his vel ex longinquo conferantur) concordia sententia exponunt hunc locum dicentes, ideo David soli Deo peccasse, quia solus Deus sine peccato est: solus qui peccata judicat: solus qui punire & parcere potest. Alii quidem homines, qui regi subduntur, peccant regi & Deo, quia ab utroque puniri possunt: & utriusque mandatum transgrediuntur. At rex qui soli Deo subditur, & ab illo solo corripitur potest, soli Deo peccat. Hæc quidem vera sunt, quia videlicet solus Deus regem punire potest, & quia solus Deus est sine peccato. An autem ideo soli Deo peccare dicendus sit, dubium mihi est: quoniam talem loquendi modum non memini me in sacris scripturis alibi legisse. Invenio quidem sæpe in sacris litteris dictum, hominem peccare in hominem. Nam Pharaon frustratæ fidei, quam filius Israel dederat penitens, eisdemque Israelitis loquens, ait. (Exod. 10.) *Peccavi in Dominum Deum vestrum: & in vos.* Ecce hominem, & quidem regem, qui in homines sibi subditos peccasse fatetur. Et tamen solus Deus punire poterat Pharaonem. Præterea in primo libro regum cap. 10. legitur. *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Deum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* Quamvis solus Deus sine peccato sit, hic tamen audis virum posse in virum peccare. Non ergo soli Deo peccare dicendus est homo, quia solus Deus sine peccato est, aut soli Deo peccare dicemus regem, quia solus Deus regem punire potest: cum regem in sibi subditum, & virum in sibi æqualem peccasse, ex sacris litteris pateat. Nisi forte, peccare Deo, quidam aliud sonet in sacra scriptura, quam peccare in Deum: quam verborum differentiam

(ut ingenue fatear) ego non video: cum absque ullo discrimine, unum pro alio in sacris codicibus positum, sæpissime reperitur. Sed si hæc præsentis versiculi expositio, quam tanti viri sanctitate perinde ac doctrina illustres comprobant, non placet, quid genoli mei tenuitas poterit excogitare, quod doctis viris vel aliqua ex parte placere possit? Adit ergo ipse Dominus, qui linguas infantium facit disertas, quique docet hominem scientiam: & illuminare dignetur intellectum meum, ut valeam intelligere, & differere, non quod hominibus placeat, à quibus probari non opto: sed quod verum & germanum litteræ sensum exprimat, qui animarum salutem utcumque prodesse possit. Nec mirari quitquam debet, si nos aliquid in hunc locum contulerimus, quod à tantis viris fuerit prætermisum: quoniam (ut ait Paulus 1. Cor. 12.) *divisiones gratiarum sunt:* & (ut ait alius) Nihil ex omni parte beatum. Quod ergo Domino donante de hoc loco ex aliis scripturæ locis conjicere valeo, ita habet. David ideo soli Deo se peccasse asserit, quia solo Deo præsentem peccatum commisit: solus Deus fuit illius peccati conficius. Nam si de adulterio sit sermo, certum est Davidem nullis admisis testibus illud perpetrasse: cum ipse concubitus etiam conjugalibus, qui honestissimus est, res sit adeo verecunda, ut nullus sit, nisi insanus, aut demens, qui loca secreta non requirat, ut talem concubitus explere valeat. Homicidium fuit secretum: quoniam & si David dedit litteras ad belli præfectum, & ducem, ut Uriam in acie constitueret in loco minus munito, & magis hostibus pervio, ignorabat tamen, an forte propter Uriæ aliquod secretum scelus, justitia ita exigente, id fuisset rex jubere compulsus: secreto tamen ne forte si id publice, & præcone clamante fieret, commotio aliqua, aut tumultus aliquis exeritaretur, qui male sedari posset. Præterea peccatum quodlibet, plus pendet ex corde, quam ex opere. Nam ex hac sola ratione, opus aliquod censetur peccatum, quia ex malitia cordis prodiit. De corde enim (ut ait ipsemet veritas Matt. 15.) *exiit adulteria, fornicationes, homicidia, furta.* Si ergo corde præcipue peccatur, coram solo Deo peccamus, cum solus ipse sit qui intuetur cor. Peccatum ergo David sic fuit secretum, ut omnes lateret: quod cum solus Deus sciverit, ideo ait: *Tibi soli peccavi,* hoc est, te solo conficio, te solo præsentem. Nam si alii hoc scivissent, illis etiam peccassem, quibus malo meo exemplo ruinæ occasionem præbuissem: quia tamen tu solus eras præfens cum peccabam, ideo tibi soli peccavi. Et hanc nostram interpretationem esse huic litteræ germanam, apertissime ostendit id, quod Dominus per Natham Prophetam Davidi minatus est, dicens. (2. Reg. 12.) *Dabo uxores tuas proximo tuo: & dormiet cum eis in oculis solis hujus. Tu enim fecisti in occulto, ego autem faciam in conspectu totius Israel.* Ex quibus colligimus, publicam pœnam esse inflictam occulto crimini. Hoc ergo peccatum nunc ipse fatetur dicens. *Tibi soli peccavi.* Et hunc sensum verba sequentia inuunt, quibus ait: *Et malum coram te feci.* Ac si diceret, Tibi soli peccavi: quia malum coram te solo feci. Et hanc interpretationem innuere videtur Ambrosius, cum ait. Tibi soli peccavi, quem solum abscondita cogitationum & mentis occulta non fallunt. Et hic loquendi modus satis usitatus est in sacris litteris, ut ille dicatur peccare Deo qui peccat coram Deo: & ille dicatur peccare in hominem, qui peccat coram homine. Nam Propheta Baruc, peccatum filiorum Israel sub eorum nomine deplorans, cap. 1. ait: *Peccavimus Domino Deo nostro.* Et paucis interjectis eandem cantilenam repetens, ait.

Pec-

Peccavimus ante Dominum Deum nostrum. Ex quibus conjicere licet, idem esse peccare Deo, & peccare ante Deum. Satis notum est etiam illud quod apud Mattheum, cap. 18. Christus ait. *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripue eum inter te & ipsum solum.* Quo loco constat concordari omnium sententia, peccare in fratrem, tantum valere, ac peccare fratre sciente. Cum ergo David ait, *Tibi soli peccavi,* idem est ac si diceret, te solo sciente, & te solo præsentem peccavi: quia coram te solum malum feci. Quæ Davidis verba magnum quoddam humilitatis insignie præferunt: quoniam illa verba in sui accusationem protulit, Dei præsentiam sibi ipsi obiciens: quæ sola sufficere debuisset, ut illum à peccato deterreret. Cum ergo ait, *Tibi soli peccavi & malum coram te feci:* huc tendit, ut dicat: vel hoc à peccato me deterrere valuisset, si considerassem, quod tu corameras, cum ego peccabam. Et merito hæc in sui accusationem ait David: quoniam magna cuilibet peccatori si dissimulare non vult, est indicta necessitas prohibitis: cum ante oculos agat iudicis cuncta cernentis. Nullus est enim homo adeo effrons, qui in plurimis peccatis non vereatur hominum præsentiam: quoniam cum peccato debeatur vituperium quemadmodum virtuti honor, & omnes à natura refugium vituperium & dedecus: hinc est, quod veremur ea coram hominibus facere propter quæ suspicamur illorum de nobis opinionem minuendam. Et tamen hæc est miseranda hominum cecitas, qui cum se invicem reverantur cum peccant, Dei tamen præsentiam nunquam reformidant. Forte ignorant divinos illos plusquam lynceos oculos cuncta prospicere: nihilque esse tam occultum, quod Deum latere possit. Aut si Deum cuncta scire credunt, suspicantur forte illum nostris peccatis non offendit. Aut illum adeo injustum censent, ut peccata impunita esse velit. Aut forte impotentem, qui etiam cum velit, punire non possit, existimant. Si credunt se posse divinos oculos frustrare, audiant quod in primo regum libro, cap. 10. dicitur. *Homines judicant quæ foris sunt, Deus autem intuetur cor.* Et divinus Psaltes, ait. (Psal. 7.) *Scrutans corda & renes Deus.* Scrutantem dixit, ut eum minutissima quæque cognoscere innueret: prout facitis, qui rem quamquam cum diligentia scrutatur, cui nihil est, etiam quamlibet parvum, quod non sit probe exploratum. Huic sententiæ Hieremias Propheta ex persona Dei subseribit, dicens: cap. 23. *Deus appropinquans ego, & non de longe Deus. Numquid latere quis poterit in absconditis, & ego non videbo eum? Et divina sapientia clamât se in profundum abyssi penetrasse: (Eccl. 24.) ut ostendat nihil esse tam occultum, quod illi non sit manifestum. Nemo ergo inde audeat peccandi sumat, quod putet peccatum suum fore secretum cum scelestis illis sensibus dicens. (Dan. 13.) *Ostia pomarii clausa sunt, nemo nos videt.* Nemo enim potest, sed nemoquid ideo nullus? Videt enim te Deus: videt te iudex ille, cujus tribunali te assidere oportet. Et si peccatum tale est, ut cordis latebras exeat, videt illud angelus malus, videt angelus bonus, videt accusator, videt testium multitudo. Nullus ergo hæc ratione securus sit, quod eum peccantem nemo videt: quia latet in insidiis, quos latere homo non potest: sicque latent, ut illos homo deprehendere non possit. Sunt tamen aliqui sicut lepus: qui (ut ajunt) dumetis caput infingens, dum videntem se non videt, se quoque reputari non videri. Quæ in re maxime falluntur: quoniam & si Deum nos non videamus, illum tamen latere non possumus. *Auris enim cæli audit omnia. Et qui fixit oculum**

ipse considerat. Nuda enim sunt illius oculis omnia. Visus illius penetrabilior est omni gladio ancipiti: (Heb. 4.) quoniam ipsas non modo cernit, sed etiam discernit cogitationum vias, & medullas affectionum. Unde colligimus, ut tam insanum sit sub illis oculis vellet peccare: quam horrendum est incidere in manus Dei viventis. Et ob hanc causam: iudicium Dei tantopere formidabat Paulus, quia iudicia hominum pro nihilo ducebat, dicens. (1. Cor. 4.) *Mihi pro minimo est, ut à vobis iudicer, aut ab humano die: sed neque me ipsum iudico. Nihil enim mihi conscius sum: sed non in hoc justificatus sum; qui autem iudicat me, Dominus est.* Vides quantum Deus juxta Pauli sententiam in cordibus nostris cognoscat: ut multa quæ nos ipsos latent, illi sint apertissima. Ob quam causam, etiam cum nihil sibi conscius esset Paulus, à Domino tamen iudicari pertimescit. Cum ergo peccatum aliquod committere tentas: aut cogitatio aliqua mala coram tu pulsat, atque sollicitat, considera Deum esse præsentem, ut vel hac occasione, à quolibet peccato perpetrando revoceris, si forte Deum non times, & solus hominum vereris aspectus: memor esto hominem Christum, hominum facta minime ignorare, ut coram illo attentare non audeas, quod coram me profus non audeas. Alioqui si carnis oculum magis quam gladium, quem Dominus jam vibrabit, formidas: & id quod times evenit tibi, & accideret quod vereris. Nihil est enim opertum quod non sit revelandum in illa die iudicii, in qua illuminabit Dominus abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Tunc enim scrutabit Hierusalem in lucernis ardentibus. (1. Cor. 4.) Quid ergo tutum in Babylone, si in Hierusalem sit scrutinium? Si iustus vix salvabitur, injustus ubi apparebit? (Soph. 1.) Nam hoc loco, quantum ego existimo, nomine Hierusalem, designatur iustus, qui in pace in id ipsum dormit, & animi tranquillitate requiescit. Peccator vero qui vitam suam in turbatione vitiorum & scelerum varietate confundit, significatur nomine Babylonis. Astius peccata manifesta sunt, & adeo magna, ut à quovis possint deprehendi, & ideo non egent scrutinio, sed iudicio. Iusti autem peccata, aut minima sunt & occulta, aut si quæ magna præcesserunt, mutatione melioris vitæ, & habitu charitatis supervenientis, operta sunt. Et ob hanc causam subtili oportebit eas investigare inquisitione, ut lucernis admotis conspiciantur, quæ virtutum adumbratione latebant. Si ergo peccator jam credit Deum cuncta prospicere, mirum est, quod peccans divinam præsentiam non reformidat, cum tamen columnæ cæli contremiscant, & paveant ad nutum ejus. Forte existimat Deum adeo misericordem, vel (ut verius dicam) injustum, ut peccatis nostris non offendantur, & inulta illa esse velit. Aut impotentem forte autumat, ut etiam cum velit, punire non possit. Si de ejus potentia dubitant, audiant Prophetam dicentem. *Omne quæ Deus voluit, fecit in cælo & in terra.* Audiant etiam quid Paulus dicat in ea, quæ est ad Hebræos, epistola cap. 10. *Horrendum est (inquit) incidere in manus Dei viventis. De voluntate Dei ad punitionem malorum, non est opus producere testes: sed ipsum Deum suam ipsius voluntatem exprimere audiamus. Peccatori enim per Prophetam loquens, ita ait: Existimasti inique, quod ero tui similis, arguam te, & statuum contra faciem tuam. Quia mala facta tua placent tibi, putas etiam placere mihi: quia enim Deum non statim habes ultorem, vis habere participem, & tamquam corruptum iudicem, præde socium vis habere. Existimasti inique quod ero tui similis. Certe tui similis es-*

G

fem,

Si cymba in aquis fluentibus reponatur, nec sit qui obstat fluctibus, statim ad motum fluentis aquae deorsum ibit: quod si contra aquae fluxum eam ducere quis velit, remis eum insistere, omnemque adhibere conatum oportet. Anima nostra in carne posita, est tamquam navicula in aqua. Motus carnis in malum est: quia in lege prohibita movetur. Si anima negligens est, securaque vivit, statim sequitur carnis concupiscentias, malaque ejus inclinationes. Nunc ingluviem sectatur. Nunc libidini indulget. Alias avaritiae deservit: iterum ambitione rapitur, aliquando iracundia fervet: multoties invidia uritur, saepissime acidia torpet. At si contra hujus carnis fluxum, animam sursum ducere oportet, necesse est omnem adhibere virtutem, omnes huic rei impendere conatus. Praefertim, si aqua magno cum impetu fluit, hoc est, si carnis tentationes vehementer sollicitent & urgeant, ne dicam impellant. Tunc enim magna virtute est opus: tunc necesse est jejuniis, flagellis, vigiliis, ceterisque id genus laboribus carnem reprimere, ut ad nutum animae moveatur, illique per omnia obediat. Sed quia caro semper suos habet motus, quos nunquam deserit, necesse est, ut anima semper clavum teneat, semperque remis insistat: quoniam si semel vel quamlibet parvo tempore intentionem remittens securam vitam duxerit, statim impetu carnis ducetur ad mortem. Sic enim David Regi contigit: Nam cum hic in bello contra Philistaeos pugnaret, cum Saulis persecutiones patitur, & in his mille labores sustinet: mirum quantis virtutibus pollet, ad quantum culmen virtutis pervenit; tunc humilis, mansuetus, benignus, castus. Cum vero domi mansit, otio indulget, securusque vixit, remos laboris abiecit, tunc impetu carnalis concupiscentiae rapitur, & alienae uxoris ceceo amore ductus, illi se committit. Ut autem hoc crimen melius occultare valeret, maritum illius, qui servus erat sibi fidelissimus, interficere procuravit. O male laeta securitas! pessima laboris remissio, quae tantorum malorum est causa! Nam impetus carnalis concupiscentiae, animam in vitia semper trahet, nisi maxima cum sollicitudine virtuti illa semper intendat. Et quia hanc carnis contrapugnantiam tolerat, ideo magna cum difficultate operatur bonum: quoniam fortius quodlibet agens operatur, & citius, cum absque ulla contradictione agit. Tardius autem & difficilior, si contradictionem & repugnantiam in operatione sua experitur. Ipsa siquidem contradictio vires operantis minuit: quoniam omne agens (ut est apud Aristotelem) etiam eum agit, patitur. Erhinc est illa animae infirmitas, ut vires suas ad bene operandum habeat diminutas, quoniam carnem tolerat in omni bono sibi contradicentem. Et ob hanc causam peccatum, quod ex carnis instigatione oritur, vocatur à Theologis peccatum ex infirmitate: quoniam à carne, quae infirma est, ortum habet & anima ab illa infirmitatem suam trahit. Et quoniam ex infirmitate procedit, ideo majori dignum est venia. Nam cum peccatum omne adeo ex arbitrii libertate pendeat, ut citra illam, peccatum non censetur: fieri necesse est, ut quo magis opus aliquod liberate caret, eo minus peccator dici mereatur. Et inde evenit, ut quod ab ignorantia ortum est, peccatum non sit dicendum: eo quod liberum non fuit, cum voluntas non appetat, nisi quod illi obijcit intellectus. Quod autem ex infirmitate aut fragilitate carnis provenit non habet plenam arbitrii libertatem; eo quod ipsa carnis concupiscentia quodammodo minuit iudicium, & vim intellectivam habet. Sic enim ait sapiens. (cap. 4.) *Inconstantia concupiscentiae transvertit sensum sine malitia. Nec solum trans-*

verit, sed etiam evertit, nisi voluntas illi effrenata concupiscentiae obstat. Nam sceleratissimi illi senes, qui exarserunt in concupiscentiam Sufannae, (Dan. 13.) evertunt sensum suum, & declinaverunt oculos suos, ut non viderent caelum, neque recordarentur iudiciorum iustorum. Quod si vim intellectivam minuit carnis concupiscentia, necesse est, ut illa ipsa, etiam arbitrii libertati aliquid derogat, praesertim cum arbitrii pars quaedam non parva, sit intellectus. Levius ergo peccatur cum ex infirmitate, quam cum ex malitia peccatur: eo quod ibi minus conatur voluntas, quae velut invita, & quodammodo coacta à concupiscentia impellitur. Si peccatum est levius, necesse est ut magis dignum sit venia, & leviori animadversione puniatur: quoniam iuxta mensuram delicti, est etiam plagarum modus. Propter quod Paulus aequissimus peccatorum reprehensor, variis criminibus varias distribuit correctiones, cum Timotheum instruens quo pacto vitia reprehendat, ait. (2. Ti. 4.) *Argue, obsecra, increpa.* Argue illos: quia concupiscentia devicti, vitii ut fragiles succubuerunt. Obsecra eos, qui per ignorantiam peccaverunt. Increpa eos, qui sola malitia sollicitante deliquerunt. Hos enim acerba reprehensione dignos esse cenfer, illos vero mitius tractare jubet. Sic etiam veritas ipsa faciendum fore ait. (Matth. 12.) *Quicumque dixerit verbum contra filium hominis remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur in hoc saeculo, neque in futuro.* Quae Christi verba, non sic accipienda sunt, quasi aliquid sit peccatum quod in hac vita expiari non possit: sicut impii Armeni somniant, qui peccatum in Spiritum Sanctum tam lethale esse aestimant, ut nulla illi valeat medicina poenitentiae subvenire. Peccatum ergo in Spiritum Sanctum non remittendum dicitur: quia & si per poenitentiam culpa deleatur, poenam tamen omnem temporalem, quae illo peccato post deletam culpam debebatur, solvet qui illud commisit, neque aliquid illi de poena remittetur, eo quod nullam habeat ignorantiam aut infirmitatis excusationem. Sicut enim excusationem non habet in culpa, ita nec remissionem in poena. Qui autem peccat in patrem & filium, hoc est, per infirmitatem aut ignorantiam (sit quantumvis grave peccatum) excusationem aliquam habet, ut ejus culpa levior esse putetur, & sic confugere licebit ad ignorantiam & humanam infirmitatem, ut sit veniae locus. Quo fit, ut culpa per poenitentiam ubique deleta, mitius agatur cum eo, qui in patrem aut filium peccavit, quam cum eo, qui peccavit in Spiritum Sanctum. Cum ergo peccatum ex infirmitate levius sit, & majori dignum venia, ideo hanc ipsam infirmitatem pietati iudicis nunc obijcit David: quo illum melius & facilius ad misericordiam flectere possit, dicens. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Ad hunc modum etiam Job Deum orans dicebat. (cap. 10.) *Memento quae quod sicut lutum feceris me.* Lutum fit, cum aqua terra miscetur. Ut lutum ergo homo factus esse dicitur: propterea quod cum alia inseritur corpori, tunc quasi aqua miscetur terrae: ex quarum mixture lutum constat, quod est hoc. Cum ergo ait. *Memento quae quod sicut lutum feceris me:* infirmitatem suam coram Deo manifestat, quo major sit miserandi occasio. Ac si diceret. Memento quae quod non me consideris velut aquam solam, quae pura est sine substantia alicujus extraneae admixtione: prout fecisti angelos, quibus nullam terrenae substantiae molem adjunxisti, sed fecisti me sicut lutum: quoniam est animam dedisti, quae pura est substantia, & spiritus quidam velut est angelus, huic

huic tamen animae terram corporis adjunxisti, ex cujus conjunctione & mixture, quaedam conturbata anima immanditum, tamquam flavius, qui per impudum alveum transit. Et ab illa terrene substantiae mole habet anima, ut ad terrena appetenda deprimitur. Et ob hoc minus culpabilis: quia non sicut angelus, qui nulla carne impellente corrumpitur, sed se ipsum lubens deiecit; & ideo indignus, cui venia praestetur. Homo autem si cecidit, gravitate carnis deorsum trahente & impellente dejectus est, & ideo indignus, qui tam acriter puniatur. Vix enim fieri potest, ut qui longa & perpetua consuetudine simul vitam duxerunt, non trahat unus ab altero aliquid de moribus illius. Cum ergo caro & spiritus jugi consuetudine jungantur simul comedentes, bibentes, vigilantes, dormientes, fieri necesse est, ut anima aliquid (nec dicam multum) de moribus carnis accipiat. Et ideo vitium, quod à carne ipsa ortum habet, facilius est veniae: quoniam haec carnis infirmitas pietatis causam judicii praebet non parvam. Sic enim divinus Psalter in septuagesimo septimo Psalmo ait: *Ipsa autem est misericors, & propitius fuit peccatis eorum: & non disperdet eos. Et multiplicabit, ut averteret iram suam ab eis, & non accendit omnem iram suam, & rememoratus est, quia caro sunt.* Sic etiam idem Job in tribulatione positus excusans se, quod verba dolore plena protulerit, quod indignatio sagittarum Domini spiritum ejus ebiberit, ait. (cap. 6.) *Nec fortitudo lapidum fortitudo mea: nec caro mea aenea est.* Ac si diceret. Non mihi talem tribuisti fortitudinem, qualem angelis: qui quasi lapides dunt à forti conditi sunt, & ita immobiles, si voluissent, permanerent. Non enim doloribus franguntur, nec jucunditate & laetitia solvi possunt. Non eos adversa deiciant, nec prospera fovent. Mors filiorum contristare illos non potest: morbi affligere non possunt, rei familiaris iactura eorum animos despondere non valet. Non ego talem fortitudinem nactus sum qualem illi: quoniam ego dolore premor, calore solvor, frigore incurvor, quo vis incommodo contristor. Non enim fortitudo lapidum fortitudo mea: nec caro mea aenea est, & ideo nec mirum, si verba dolore plena protulerim. Ut lutum enim me fecisti, non ut lapidem, neque ut aes, aut ferrum, & ideo nec mirum, si tentationi succumbam. Hoc est, quod nunc David Deo obijcit, ut aliquem pietatis respectum illi ingerat, dicens. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Quibus verbis primordia peccati arguere videtur, & malam peccati radicem, quae ab Eva omnium matre ortum habuit, à qua mala radice pessimi tamen prodeunt. Nam post illud originale peccatum, intellectus obsecratus est, memoria non tenet, affectus frigit, concupiscibilis absque freno currit, irascibilis adeo timida est effecta, ut saepe trepidet timore, ubi nullus est timor, imaginatio fallit, ignorantia per devia quaeque ducit, caro concupiscit adversus spiritum, concupiscentia sensum transvertit: infinitis quasi repagulis mens nostra cohibetur, ne ad bonum procedat, in numeris etiam calcantibus urgetur, ut ad malum currat. Haec ergo David coram Deo paucis verbis praesentavit, ut illum ad misericordiam flecteret, dicens. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.* Ac si diceret. Considera fragilitatem meam, & exerce pietatem tuam. Nam quo magis me miseram & miserabilem conspicias, eo magis ad misericordiam moveberis. Non enim fieri potest, quin abyssus miseriarum mearum, invocet abyssum tuae misericordiae. Non est medicus, qui non compatitur infirmo. Non est pater, qui non miseretur filio. Tu ergo benignissime me-

dice aspice me, & misereri mei. Considera vulnera mea, infunde illis vinum & oleum, & ne male consuetudinis fanies iterum defluat, adhibe ignem charitatis, quo vitia reprimantur, ut pristinae sanitati restitutus, valeam deinceps operari bonum, & vitam aeternam promereri. Quam nobis praestare digneris per merita Jesu Christi filii tui, qui tecum & cum Spiritu Sancto vivit & regnat per infinita saeculorum saecula. Amen.

HOMILIA XI

Ecce enim veritatem dilexisti, incerta & occulta sapientiae tuae manifestasti mihi.

QUI prius misericordiam petierat, ut vehementius urgeat, iustitia interveniente, eam nunc efflagitat, & Deum ad misericordiam illi praestandam quasi cogere videtur, dicens. *Ecce enim veritatem dilexisti.* Quod bifariam interpretari possumus, juxta duplicem hujus vocis, veritas, significationem. Varia enim haec vox in scriptura sacra significare consuevit. Nam aliquando significat conformitatem illam, quae est inter signa, & res per illa significatas: cum videlicet ita res habent, ut signa enuntiare videntur. Et hoc est communis hujus vocis significatum. Aliquando etiam capitur pro iustitia. Sic enim accepisse videtur Salomon, cum dixit. (Prov. 20.) *Misericordia & veritas custodiunt Regem.* In eadem etiam significatione accepit eam David, cum in Psalmo octogesimo octavo ait. *Misericordia & veritas obviaverunt sibi.* De hac ergo duplici veritate haec verba intelligi possunt. Nam juxta unam significationem, talem possunt habere sensum, ut dicat: Si veritatem, hoc est, iustitiam diligis, & me ipsum dilige: quia ea quae à peccatore ut ad pristinam iustitiam redeat, exiguntur, praestitit. *Iustus enim in principio accusator est sui.* (Prov. 18.) Ego autem meipsum coram tuo Propheta de peccato accusavi, peccatum meum agnovi, ante oculos meos illud statui, punivi. Tu ergo parce, qui veritatem diligis. Juxta aliam vero significationem, possunt illa verba sic interpretari, ut David dicat. *Ideo ego reprehendo, & castigo peccatum meum: quia tu verax es, & mentiri nequis, sed veritatem diligis.* Primum ergo sensum nunc discutiamus, mox alterum. Ut ergo primus sensus sit apertior, admonere primum oportet, quod haec sola ratione peccator puniri delictum suum in se: quia credit Deum justum, qui nullum peccatum impunitum abire permittit. Quapropter necessarium esse iudicat, ut homo illud in se puniat, aut Deus. Ne igitur Deus puniat, peccator prius in se puniat: quoniam si homo non puniat, puniat Deus. Propter quod Job (cap. 9.) merito ait. *Verbera omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.* Quae verba neminem non terrebunt, & in magnam stuporem vertent. Nam valde alienum esse videtur à divina misericordia id quod ait, *Deum non parceres delinquenti.* Nonne deliquit Petrus, cum se Christum nosse negavit? Paulus cum nomen Jesu suppressere conabatur? Manthæus cum sedebat ad telonium? Magdalena quae erat in civitate peccatrix? Latio qui aliena diripuerat? Nonne omnes isti delinquent, & tandem omnibus illis Deus peperit? Cur ergo Job ait: *sciens quod non parceres delinquenti?* Ideo certe Deus dicitur non parcere delinquenti: quia delictum nunquam sine ultione deserit. Aut enim ipse homo poenitens in se puniat, aut Deus vindicans, castigat. Et hoc modo fit, ut delinquenti Deus non pareat: qui nunquam illum sine ultione abire

sem, si pateret peccatum tuum inultum abire. Similis tui essem, si peccatum tuum ignorarem: tu enim peccatum tuum sapissime ignoras, & si te peccasse agnoscis, peccatum tuum post tergum projecis, ne videre possis. Ego autem, qui peccatum tuum video, numquid impunitum illud dimittam? Si ita me facturum censes, existimasti inique. Si putas me ignorare peccata tua, sicut tu ea sapissime ignoras, existimasti inique. Si credis me illa projecisse post tergum, prout tu facis, existimasti inique. Si existimas peccata tua placere mihi quemadmodum placent tibi, existimasti inique. Aut si forte me adeo injustum censes, ut peccata tua inulta abire permitam, existimasti inique. Arguam te, & factum te contra faciem tuam. Judex sum, & justus iniquitatum ultor. Cum peccabas, tacui: sed numquid semper tacebo? Tacui, quia iniquitatem dissimulavi, tempus ad poenitentiam indulsi, sed numquid semper tacebo? numquid semper dissimulabo? Si ita de me censes: existimasti inique, quod ero tui similis. Nam arguam te de mendacio quando venero, ut manifestem consilia cordium. Et ut cognoscas quod te cum peccabas videbam, constituiam te ante faciem tuam. Peccata quae tu post dorsum posuisti, ego ante faciem tuam ponam, & tunc videbis feditatem tuam, non ut corrigas, sed ut erubescas. Qui ergo tentatur a concupiscentia sua abstractus & illectus, consideret Deum praesentem esse, qui omnia conspiciat, judicem ad stare coram nobis, ante cujus tribunal nos oportet assistere, illum esse tam justum, ut nullum peccatum inultum transire permitat: illum esse tam potentem, ut voluntati ejus nemo resistere possit. Et cum haec probe consideraverit, resistet a peccato, in quod praecipit ibat. Quoniam si bene adverterit, timebit: qui autem timet Deum, faciet bona. (Hebr. 10.) Merito ergo in sui accusationem David ait. *Tibi soli peccavi, & malum coram te feci.* Ac si diceret: Adeo effrons & inverecundus fui, ut te praesente, & coram oculis tuis peccare non erubuerim. Nam & si homines peccatum meum latuerint, te autem, qui omnia quamlibet occulta nosti, latere non potui. Tibi ergo solo peccavi: quoniam tu solus scrutator, me peccantem videbas. Quamvis autem peccatum meum secretum fuerit, ego tamen illud nunc publicare decrevi: ut tu justus in omnibus tuis sermonibus inveniaris, & vineas cum judicaris. Nam aliqui sunt, qui cum Deo contendere non verentur, & illud de injustitia accusare non reformidant, quod poenas inflixerit sine causa. Quare, inquit, mihi hoc evenit? Cur nunc tam saeva tempestas? Unde mihi tot tantaque mala? Sic etiam David nunc futurum timet, ne forte cum poena quas illi Deus per Natham Prophetam minatus est, illum confringerent, Deus accusaretur, quod Davidem servum fidelem tot angustiis vallaverit, tot cinxerit tribulationibus. Ideo David Dei gloriam zelans, ut Dei justificatio sit nota, & cum sic ad judicium Deus vocatus fuerit, victor evadat: suum peccatum, quod secretum esse sciebat, publicare decrevit, ut peccato publicato, Dei justificatio omnibus innotescat: cum Davidem propter illud poenis aliquibus affligeret. In quo facto multum Davidis fidelitas elucet, qui Domini sui honorem, honori suo anteponere non dubitavit. Cum ergo ait. *Tibi soli peccavi & malum coram te feci, ut justifieris.* &c. non ita accipiendum est, quasi hoc sine David se peccasse asserat, ut Deus justifieretur: sed ideo peccatum suum aperite profiteretur, ut Deus justifieretur, & vincat eum judicaretur. Peccati ergo publicationem ad hunc finem ordinasse videtur: ut Dei justificatio fieret omnibus manifesta. Quod

autem ait: *Tibi soli peccavi & malum coram te feci, in sui accusationem illum dixisse mihi probatur.* Sic etiam filius ille prodigus, qui bona sua dissipaverat ad se reversus, peccatumque suum agnosceret dicebat: *Pater peccavi in caelum & coram te.* Cum enim ille abierat in regionem longinquam vitiorum, sic se a patre elongatum censebat, ut crederet patrem non fuisse scelorum suorum inspectorem. Nunc autem ad se reversus, agnoscit patrem celsitem tunc praesentem esse cum peccabat, & ob hoc seipsum nunc accusat, quod patris praesentiam cum peccabat, reveritus non fuerit. David autem, qui postea semper Deum suorum operum inspectorem considerabat, semper opera sua circumspiciebat, ne forte quicquam ageret, quod oculis divinae majestatis cuipeta cerneretis displiceret: ideo alibi ait. (Psal. 118.) *Servavi mandata tua & testimonia tua: quia omnes vias meas in conspectu tuo.* Tu ergo si vis ab omni peccato cavere: in omni opere quod facere cogitas, considera Deum esse praesentem, in cujus conspectu sunt omnes vias tuae, & sic omnia mandata Dei servabis, quibus vitam asequaris aeternam. Quam nobis Deus donare dignetur, per merita Jesu Christi filii sui, qui cum eodem & Spiritu Sancto vivit, & regnat per infinita saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XII

Bece enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concipitur me mater mea. Argumentum aliud, & hoc ab infirmitate sumptum, nunc profert David, quo Deo persuadeat justum esse, ut illius misereatur. Is enim, qui non ex malitia peccavit, sed ex infirmitate quadam & fragilitate succubavit, dignus est qui veniam consequatur. Ut hanc igitur David assequi valeat, infirmitatem suam, & malam peccati radicem in se sitam causatur, dicens: *Bece enim in iniquitatibus conceptus sum.* Non dixit in quibus, suis, an parentum. Ob quam causam, aliqui erroris ansam susceperunt, dicentes: parvulus in peccatis parentum concipitur quia (ut ajunt) parentes eum se ad generationem prolis committunt, peccant. Et ob hanc causam Prophetam dixisse putant: *Bece enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concipitur me mater mea.* Ita enim sentiunt Encratitae, Adamiani, Aetiani, & caeteri qui nuptias damnant. Quorum errorem redarguit Paulus in pluribus locis, praesertim in epistola ad Hebraeos, (cap. 13.) dicens. *Honorable connubium omnibus, & thorus immaculatus.* Nec opus est, ut in hac haerese resellenda amplius immoremur quoniam in eo opere, quod adversus omnes haereses edidimus, abunde satis disputatum est. Si ergo parvulus non in peccatis parentum concipitur, reliquum est, ut in peccato proprio concipiatur. Aut si in peccato parentum concipitur: illud est primum parentum peccatum, quod ad posterum omnem Adam per propagationem transmittit. Nam sicut ab ipso justitiae originalis obligatio ad omnes derivata est: ita etiam peccatum originale, quoniam justitiam originalem nobis per manus (ut ita dicam) tradens, eo ipso, etiam peccatum ad nos transmittit. Peccante enim Adam, omnem suam stirpem in seipso tamquam in radice sic vitavit, ut quaecumque proles ex simul damnata per quam peccaverat conjuges, nasceretur, traheret peccatum originale. Propter quod Paulus in epistola ad Romanos (cap. 5.) ait: *Sicut per unum hominem in hunc mundum peccatum intravit, & per peccatum mors: ita in omnes homines*

nes pertransiit, in quo omnes peccaverunt. In quibus verbis id ad advertendum est, quod ait pertransiit. Inde enim parvulus est reus, non quia peccatum fecit: sed quia a parentibus traxit. Illud quidem primum peccatum non in solo fonte manit, sed inde pertransiit in omnes per vitiatam carnem genitos. Ideo ait, *in quo omnes peccaverunt:* quia quando ipse peccavit, omnes in illo erant, & tota humani generis massa in illo infecta est peccati veneno. Et ita in illo omnes peccaverunt: non quidem in illo, hoc est, illius exemplo (prout Erasmus male sentiens interpretatur in suis annotationibus) quasi Adam peccans, malum exemplum peccati fecit omnibus praebuerit, & propterea omnes in illo peccaverunt: quia malo illius exemplo, omnes in peccato lapsi sunt. Non certe sic: sed ideo in illo omnes peccaverunt: quia omnes in lumbis ejus tunc erant cum ipse peccavit, & ideo tunc peccaverunt omnes tamquam in radice: quoniam damnata radice, & ramos etiam damnari fuit necesse. Alioquin si solo exemplo omnes peccaverunt, ubi est peccatum originale? Nullum erit in parvulis peccatum, quoniam nondum potuerunt ex Adam exemplum sumere ut peccarent. De hoc ergo peccato intelligit Propheta, cum ait: *Bece enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concipitur me mater mea.* Vel (ut alia translatio habet) peperit me mater mea. In quibus verbis, matris potius fecit mentionem, quam patris: quia major est matri cum filiis conjunctio, & plus a matre carnis & sanguinis recipit proles. Et ab Eva cunctorum matre initium sumpsit peccatum. Ex his ergo Davidis verbis proferuntur insanus Pelagii error, dicentis, nullum esse originale peccatum, nullumque esse peccatum in parvulis. Si nullum est parvulorum peccatum: quod est peccatum illud in quo David conceptum se fuisse testatur? Cum enim jam ostenderimus ex Paulo nullum esse in conjugio peccatum, convincitur, ut parvulus recens natus, in peccato suo sit natus. Non autem in peccato a se commissio: quoniam tale nullum esse in parvulo, vel ex eo aperte convincitur, quod usum rationis, sine quo peccatum committi non potest, talis parvulus nondum obtinuit. In peccato ergo quod a parentibus cum carne trahit, conceptum esse oportet. Illud nos dicimus peccatum originale. Verum cum his dictis in faciem pugitare videtur, quod ait: *In iniquitatibus, & non in iniquitate: in peccatis, & non in peccato.* Nam cum peccatum originale unum tantum sit in quolibet homine: quomodo verum esse poterit, in peccatis illud esse conceptum, si de peccato originali verba illa sunt intelligenda? Hanc autem objectionem nos ita resellimus, dicentes numerum pluralem ibidem subrogatum esse loco numeri singularis: sicut solemne est in sacris literis unum pro altero substitui. Nam in Exodo (cap. 8.) sic scriptum legimus: *Venit musca gravissima in domos Pharaonis & servorum ejus: & in omnem terram Aegypti, corruptaque est terra ab hujusmodi muscis.* Hoc in loco constat numerum singularem positum esse loco numeri pluralis: ita ut musca gravissima ibidem tantum valeat, sicut multitudo muscarum. Sic & in praesenti versiculo vice versa positus est pluralis numerus pro singulari. Et hoc satis aperte innuit translationem diveritas. Nam in translatione, quam beatus Hieronymus juxta hebraicam veritatem edidit, sic habetur: *Bece enim in iniquitate conceptus sum, & in peccato peperit me mater mea.* Et Pagninus Lucentius eandem sententiam reddit, qui ita vertit: *Bece cum iniquitate genitus sum, & cum peccato calefacta est de me mater mea.* Ex qua translationum varietate, facile persuaderi potest, numerum pluralem

fuisse in locum singularis substitutum. Potest etiam aliter hic locus intelligi, ut iniquitates illum dixisse sic accipiamus, non quod multa sint originalia peccata, sed quia multa sunt incommoda ex illo peccato procedentia. Nam poena originalis peccati aut illius effectus, aliquando in scriptura sacra vocatur peccatum. Sic enim capit Paulus peccatum, cum ait. (Rom. 7.) *Si autem quod nolo malum hoc facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Concupiscentiam carnis, & fomitem ad malum impellentem appellavit Paulus peccatum: quia a peccato causata: eo loquendi tropo utens, quo scripturam aliquis vocamus manum illius: quia videlicet manu illius scripta fuit, & bonam scripturam, dicimus bonam manum. Hoc etiam loquendi tropo forte usus est Propheta, cum dixit: *In peccatis concepit me mater mea:* quia multae fuerunt poenae originali peccato inflictae, quas omnes appellavit peccata. Inter quas prima & praecipua est illa membrorum lex, quae est caeterorum peccatorum fomes; propter quod illa inter omnes vocatur peccatum, quia illa ex omnibus maxima est poena, quam in hac vita propter peccatum originale sustinet. Et merito: quia enim homo suo opifici, dominoque suo obedire renuit, justum est, ut carnis inobedientiam sustineat, quae animae suae bene operanti obstat, & contra illam pugnet, & illam nolentem, ad malum sollicitet & impellat. Et ob hanc causam ille peccati fomes, vocatur ab Apostolo lex membrorum & carnis: quoniam legitime factum est, ut homini, qui noluit obedire Domino suo, non serviret caro ipsius. Nam supra hominem Deus est, iuxta hominem caro: homo autem contempsit superiorem, & hinc est quod juste torquetur ab inferiore. Haec autem poena adeo nobis est inflicta, ut simul cum nobis oriatur, neque unquam nos deserat. Hoc est enim illud grave jugum quod (juxta sapientem) (Eccl. 40.) est super omnes filios Adae, *ad die exitus de ventre matris eorum, usque ad diem sepulturae:* quia illud peccati incoitabulum, videlicet carnis concupiscentia, nunquam nos deserit. Propter quod ait Paulus. (Rom. 7.) *Non enim quod volo bonum, hoc ago: sed quod odi malum, hoc facio.* Quod non so accipiendum est, quasi Apostolus vellet esse castus, & esset libidininosus: aut vellet esse sobrius, essetque ebrius: aut esset elatus, cum operaret esse humilis: sed dictum illius de sola carnis concupiscentia intelligendum est, iuxta hunc sensum. Non enim quod volo bonum, id est, non concupiscere, illud facio: quia ex carne concupisco. Quoniam etsi concupiscentiae non consentio, & post concupiscentias mors non eo, tamen adhuc concupisco. Quamdiu enim caro mortalis est, non potest a concupiscentiis penitus esse libera. Ex hac carnis concupiscentia, multa nobis incommoda sublequantur. Et (ut alia omittam) primum est, facilitas quaedam ad malum & prona. Alterum est, ad bonum exequendum difficultas. Aliud huic proximum est, inconsistentia quaedam, qua in bono semel cepto diu persistere nequit. De primo dicitur, (Gen. 8.) *quod sensus & cogitatio humani cordis, in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Et ex hac prona in malum, ortum est, ut (juxta divinum Palstem) (Psal. 13.) *omnes declinaverint, simul inutiles facti sint.* Virgilius, *non enim moribus bonis, sed malis non est. Nolens atque dies patet atri janua Ditis:* & similiter non sed revocare gradum, superaque evadere ad auram: non hoc opus, hic labor est, pauci quos aequus amavit Jupiter, aut ardens evexit ad aethera virtus, ut dicitur in *Dius genitii potere.*

permittit. Si ergo ira fore est necessarium, elige quod vis, aut tu ipse puni, aut Deus puniet. Sed cum alterum horum elegeris, non te pœtereat quod ait Paulus. (*Hebr. 10.*) *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* Ut ergo in manus Dei non incidas, deduc tu prius crimen tuum ad manus tuas, puni tu illud, ne Deus puniat. Nam si tu vel mediocriter punieris, Deus non puniet. Unde Paulus ait. (*1. Corinth. 11.*) *Si nosmetipsos judicavimus, a Domino non judicabimur.* Quibus verbis, satis expresse innuit Paulus causam quare judicamur a Domino: quia videlicet nos ipsos non judicamus, nos ipsos non punimus, sed potius blandimur peccatis nostris, fovemusque illa. Cum ergo inultum non debeat esse peccatum tuum, puniatur a te, ne puniatur a Deo propter illud. Ne ad tribunal Dei dicendum tuum peccatum perveniat, deduc tu illud ante tribunal mentis tuæ, & ibidem discute sceleris qualitates, pensa gravitates, consilium te ipsum reum ante te ipsum, peccatum tuum iudicem te habeat, non patronum. Discussa jam & anxie examinata tui criminis qualitate, dignas pro illo penas tibi ipsi infligere non reformides. Puni cor tuum tristitia, & penitidine: corpus tuum dolore & lachrymis, aliisque id genus afflictionibus. Et hoc pacto cum Dominus ad iudicium venerit, de crimine illo nullam faciet ad punitionem examen, nullam tunc pro crimine illo infliget pœnam: quoniam jam transit in rem iudicatam. Non est autem æquum aut rationi consentaneum, ut quis iudicetur bis in idipsum. Nihil ergo aliud agit quem veraciter poenitet, nisi ut id, quod malum fecerat, impunitum esse non sinat, eo quippe modo sibi non parcenti, ille parcat, cujus iustum tremendumque iudicium nullus peccator poenitentiam contemnens, evadit. Et hoc est causa propter quam David tam celeriter ad poenitentiam cucurrit, tam sollicitus in sui peccati punitione fuit, quia videlicet sciebat Deum diligere veritatem, hoc est, iustitiam. Sciebat Deum esse rectissimum iudicem, qui neminem delinquentem non puni: qui nec precibus flecti potest, nec minis deterri, nec muneribus placari, sed quando crimen aliquod ad illius tribunal discutiendum pervenit, cum furore & indignatione arguit, & punit. Nam de peccatoribus idem David loquens ait. (*Psal. 20.*) *Dominus in ira sua conturbavit eos, & devoravit eos ignis.* Timens ergo David ne a Deo tam severe iudicaretur, ipse prius in se suum crimen punire decrevit: quoniam scit Deum veritatem, hoc est, iustitiam sic diligere, ut numquam illam deserere possit. Sed unde hoc nosse David, quod te puniente Deus non puniet, & te non puniente Deus puniet? *Incerta* (inquit Deo) *& occulta sapientia tua manifestasti mihi.* Filius Dei, sapientia est patris, de quo Paulus ait. (*1. Corinth. 1.*) *Prædicamus Christum, Dei virtutem, & Dei sapientiam.* Hæc sapientia plurima habet arcana & secreta, quæ nulli sunt nota, sed ex illis aliqua revelat aliquibus. Unde ipsamter sapientia Christus apud Mattheum (*cap. 11.*) ait. *Constitit tibi Patreæ celi & terræ quia abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Plurima erant abscondita philosophis, multa Judæis in lege veteri, quæ nunc revelata sunt in lege Evangelica. Judæi siquidem Moysen tamquam parvulum in scella scirpea concluservant: (*Exod. 2.*) dum cœlestes & spirituales illius sensus ad litteræ infirmitatem pueriliter reducerunt. Sed hunc Pharaonis filia è scella exclusit, & regio honore sublimavit: quia Ecclesiæ ex gentibus sumpta, Moysi lege honorat, multos illi sensus spirituales tribuens, quam Judæi juxta solum litteræ corticem intelligendam credide-

runt. Et hoc est quod Esaias Propheta (*cap. 5.*) futurum prædixit. *Deserta* (inquit) *in ubertatem versa, advena comederunt.* Nam legis Moysi & prophetarum dicta deserta apud Judæos fuerunt: quia juxta mysticum intellectum ea differendo excolere noluerunt. Nobis autem in ubertatem versa sunt: quia & juxta historiam, legis dictæ largiente Deo, menti nostræ spiritualiter sapiunt, & iam advena comedimus, quæ cives legis manducare noluerunt. Propter quod Paulus ait. (*2. Corinth. 3.*) *Dum Moyses legitur, velamen positum est super cor Judæorum usque in hodiernum diem:* quia cum audiunt legi scripturam illam, non intelligunt, nisi quod littera foris carnaliter sonat, & ita celatur eis sensus interiorum. Unde & Moyses cum ad eos loqueretur, faciem velabat: (*Exod. 2.*) significans, quod populus ille verba quidem legis cognosceret, sed eisdem legis claritatem omnino non videret. Sed velamen hoc Christus nobis abstulit, cum nos docuit legem non carnaliter, sed spiritualiter intelligendam. In cuius signum, ipso moriente, velum templi scissum est: (*Mat. 27.*) ut ad interiores sensus oculus nosse penetrare valeat. E multis autem mysteriis & arcanis, quæ sub litteræ cortice latitabant, & ob hoc Judæi ignorabant, unum & non parvum, fuit remissio peccatorum. Nam hæc paucis nota erant. Niniuitis siquidem hoc mysterium fuit absconditum, qui ad prædicationem Joæ (*cap. 2.*) poenitentiam agentes, dicebant: *Quis scit si convertatur & ignoscatur Deus?* Qui autem ex Judæis hæc remissionem peccatorum sciebant, ignorabant certe ex eis multi, per quem facienda esset. David autem a Spiritu Sancto edoctus, agnovit peccatorum remissionem, per Christum qui est Dei sapientia, faciendam, ita, ut sicut per sapientiam homines conditi fuerant, ita & per eandem redimerentur, & sic per illum fieret remissio, per quem facta fuerat creatio. Hoc ergo occultum & arcanum mysterium dicit nunc David fuisse sibi a Deo revelatum. *Incerta* (inquit) *& occulta sapientia tua manifestasti mihi.* Nam hoc tibi sonat incerta, quod arcana. Propter quod beatus Hieronymus juxta hebraicam veritatem sic transiit. Absconditum & arcanum sapientia tua manifestasti mihi. Arcanum (inquam) hoc, quia remissio peccatorum danda erat per Christum Dei sapientiam. Et quia tu mihi revelasti hoc sacrum mysterium, mihi & omnibus peccatoribus utilisimum. Ideo hæc ego revelatione ad commodum meum utens, peccatum meum agnosco, & illud semper ante oculos meos statuo, ut ex illius continuo aspectu, perpetuum doloris occasionem sumam: quoniam ni id fecero, tu facies, qui veritatem & iustitiam sic diligis, ut nullum peccatum inultum abire permittas. Possimus etiam aliter hunc versiculum interpretari juxta aliam veritatis acceptionem. Quæ interpretatio ut apertior sit, & litteræ vicinior appateat, admonere prius oportet, omne peccatum esse velut quoddam mendacium: quoniam non peccamus nisi ea voluntate, ut bene fit nobis, & tamen hinc male est nobis. Si omne peccatum mendacium esse censetur, eodem jure convincitur, ut omnis virtus veritas esse dicatur. David ergo ideo dicit se punire peccatum suum, quia scit Deum odire illud. Odit autem illud Deus, quoniam veritatem, hoc est, bonitatem diligit. *Ecce enim* (inquit ille) *veritatem dilexisti.* Ac si diceret. Ideo ergo odio peccatum meum, quia tu diligis virtutem. Hæc enim lege constriunguntur amici, ut eadem ament, eadem etiam odio habeant. Non est enim verosimile, ut amicus sis illi, qui quod tu ardentius amas, acerbè odit, quod tu odio prosequeris, ille impotenter & effrenatè diligit. Qui ergo ami-

amicus esse optat, oportet ut eadem quæ ille, amat & odit. Cum autem diligat Deus veritatem, & odio habeat mendacium, oportet ut peccator (si in amicitiam Dei recipi cupit) peccatum suum insectetur: quoniam omne peccatum tamquam mendacium quoddam merito æstimatur. Et ob hanc causam (ut opinor) David censet omnem hominem esse mendacem: quia videlicet omnis homo est peccator. *Ego dixi in excessu meo* (inquit ille) *omnis homo mendax.* Verum hic forsitan obstat aliquis, & huic Davidis censuræ refragari non verebitur, & dicit. Si omnis homo mendax, ergo & ipse David mendax. At rationi consentaneum non est ut mendaci quis credere teneatur. Davidi ergo in hac parte credendum non est, si ille mendax est. Verum non ita res habet: quoniam hominem hic vocavit David, non juxta naturam, sed juxta naturæ conditionem & qualitatem: ita, ut illum solum hic hominem dixerit, qui humanos sequitur affectus. Nam Paulus Corinthiis scribens, cap. 3. ait. *Cum enim sit inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?* At contra de iis, qui spiritui & non carni famulantur, dicitur. (*Psal. 81.*) *Ego dixi, dii estis vos, & filii excelsi omnes.* Omnis ergo homo mendax: quia omnis homo peccator. David autem ut ostenderet non fuisse, cum hæc dicebat, mentitum, præmisit, dicens. *Ego dixi in excessu meo:* ut innuere se, cum hæc dicebat, hominum statum excessisse, non secundum hominem ambulasse: ut non hominis lege iudicaretur, ne mendax sicut cæteri diceretur. Quod si homo esset, oportebat ut mendax etiam esset, quoniam omnis homo peccator mendax. Ut autem ostenderet se ab hac mendacii nota liberum, dixit. *Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax.* Ac si diceret. Quamvis omnis homo mendax dicatur eo jure quo homo est, & secundum hominem vivit, ego autem cum hæc dico, de mendacio notari non debeo: quia non secundum hominem hæc dico, sed in excessu meo. In quo autem mendacium hoc consistat, alibi expressit dicens. (*Psal. 61.*) *Mendaces filii hominum in stateris.* Sed qualiter in stateris? Non enim omnes homines libra utuntur: nec omnes se in mercaturis exercent, neque omnes circa negotia emptionis & venditionis versantur: quo pacto ergo verum esse poterit, mendaces esse omnes homines in stateris? Verum certe hoc esse, aperitissime ostendimus, si non juxta litteræ corticem, sed juxta mysticam aliquam significationem, illud intelligere volumus. Nam rationem per quam possumus recte de qualibet re iudicare, stateram hic appellavit, & merito. Quoniam per hanc omnium rerum virtutes & merita trutinamus. Hæc (inquam) est illa statera, quam Pythagoras Philosophus admonuit non esset transiliendam. Nam inter Pythagoræ symbola hoc unum annumeratur, quo ait, stateram ne transilias. Quibus verbis docere nos voluit, nihil esse præter rationem, jus, & æquitatem faciendum. Stateram habet veracem, qui bona dicit bona, & mala mala, & optima dicit optima. Contra vero stateram habent mendaces illi, quibus dicitur. (*Esai. 5.*) *Veni qui dicitis bonum malum, & malum bonum.* Duas ergo res inter se contrarias ante te posuit Deus in statera tui iudicii & arbitrii examinandas, vitium videlicet & virtutem, vitam & mortem. Behæ ergo eas expende: vide quid eligas, quid tibi utilius sit: momentaneam eligere voluptatem, per quam mor invenias æternam: an exerceri in virtutis laboribus, ut tandem perpetuis postea fruaris deliciis. Mendaces ergo filii hominum in stateris, quia male trutinant: quoniam mala pro bonis eligunt, vana veris anteponunt: momentanea, perpetuis & numquam

perituris bonis præferunt. Mendaces etiam filii hominum in stateris dici possunt, quia variis stateris utuntur. Nam una statera expendant facta sua, & alia, librant aliena. Minore pondere examinant sua peccata, & majori aliena. *Pondus & pondus, mensura & mensura: utrumque abominabile apud Deum.* (*Pro. 20.*) Mendaces ergo sunt filii hominum in stateris: quia omnis peccator hoc habet, ut in suis peccatis examinandis & puniendis, mitissimus sit: in alienis autem, mirum quam sit eorum quilibet severus. Mendaces ergo sunt in stateris: quia nec sua, nec aliena facta æquo pondere librant. Propter quod Salomon ait. (*Prov. 11.*): *Statera dolosa abominatio est apud Deum, & pondus æquum voluntas ejus.* Ac si diceret: *Hominum affectus & judicia statera dolosa sunt.* Sola Dei voluntas est æqua statera, quæ omnibus sine ulla personarum acceptione juxta eorum merita distribuit. Satis itaque aperte (ut arbitror) ostendimus jam, omne peccatum esse mendacium: quo fit, ut omnis virtus, veritas sit etiam dicenda. David ergo ideo peccatum suum se odisse asserit: quia scit Deum diligere veritatem, hoc est, virtutem. Hæc enim lege (ut diximus) amici asstringuntur, ut idem odire teneantur. Si quis ergo in Dei amicitiam inferi optat, oportet, ut idem quod Deus diligat, & odiat. Deus autem veritatem, hoc est, virtutem, diligit: mendacium vero, id est, vitium odit. Idem ergo peccatorem facere oportet, ut scilicet vitium odiat, & veritatem diligat. Quisquis ergo in peccatum aliquod lapsus es, agnosce te esse inimicum Dei: *quoniam iniquos ille odit habet.* (*Psal. 118.*) & peccata nostra dividunt inter nos & illum. Quod si in Dei amicitiam recipi vis, odire te oportet peccatum tuum, & diligere veritatem. Statue peccatum tuum coram te semper, ut continuus peccati aspectus, jugem odii materiam ministrat: & sic te peccatum tuum odientem & deplorantem, Deus in suam amicitiam recipiat: consentens tibi in presenti gratiam, & tandem in futuro gloriam, per merita Jesu Christi Filii sui. Qui cum eodem Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XII.

Asperges me Domine hyssopo, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor. Nter occulta illa sapientia tua, quæ te mihi revelare cognovi, hoc unum est, quod si videlicet me semel hyssopo asperferis, mundas ero: si autem laveris, super nivem dealbabor. Lata est quidem differentia inter aspergere & lavare: nec minor certe est inter sacramenta veteris legis, id est, expiationes, & lavacra, quæ in lege veteri fiebant, & baptismum aut poenitentiam. Nam illa veteri aspergebant, ac proinde non absolute mundabant. Ex operibus legis (ut ait Apostolus *Rom. 3.*) non justificabitur omnis caro. Baptismus vero & poenitentiam tamquam quædam lavacra animæ sunt: quibus si abluatur anima quamlibet fordida, super nivem dealbabitur. De baptismo si quidem loquitur Dominus per Ezechielum Prophetam, cum ait, cap. 36. *Effundam super vos aquam mundam & mundabimini ab omnibus iniquitatibus vestris, & ab universis idolis vestris mudabo eos. Et dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri.* Et per Prophetam Zachariam iterum ait, cap. 13. *In die illa erit fons patens domui David, & habitantibus Hierusalem: in ablutionem peccatoris & menstruatæ. Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum, asperdam nomina idolorum de terra, & non me-*

morabuntur ultra. Hæc ibi. Hoc lavacro deletur culpa, remittitur poena, minuitur fomes peccati, conceditur gratia, quæ omnia filiis Israel transeuntibus mare in figura contigerunt. Nam Pharaon cum toto exercitu in eodem mari summersus est, ita ut unus ex illis non remanserit. Mari transacto, liberati sunt à servitute luti, & lateris, quam in Ægypto patiebantur. Hi qui in Ægypto repugnare Ægyptiis non poterant: transacto mari, contra reges incircumcisos fortissime dimicant. Post transitum maris, vescuntur cælesti manna, cibo dulcissimo, qui in Ægypto porris, & cepis vescabantur. Transitum maris fuisse baptismi figuram testatur Paulus, qui in priore epistola ad Corinthios c. 10. hæc ait. *Patres omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt, & in mare.* In hoc mari Pharaon cum toto exercitu summersus est: quia in baptismo potentia diaboli summersitur, omnia peccata delentur: ita ut unus non remaneat ex eis. Nullum est enim peccatum, quod non deletur baptismo. In parvulis enim deletur originale, in adultis vero non solum hoc, sed etiam actualia, si quæ insunt. Transacto mari, liberati sunt filii Israel à penis luti & lateris, quibus à Pharaone addicti erant: & recepto baptismate, omnis poena, ad quam propter peccatum obligatus fuerat peccator, tollitur. Ita delata culpa, nulla superfit propter illam toleranda poena. Quo fit, ut si aliquis quamlibet sceleratus, baptismo (videlicet) ablutus, continuo post susceptum baptismum ex hac vita migrare contingeret, evolaret ad celum, nullam propter commissa scelera passurus poenam: quoniam omnia jam in baptismo purgata sunt. Omnia enim illa prima jam abierunt. Filii Israel postquam mare transierunt, audaciores, & robustiores, & fortiores effecti sunt. Qui enim in Ægypto non audebant nec valebant Ægyptiis resistere, postquam mare transierunt, fortissimi contra barbaras nationes dimicant. Magna est imbecillitas, quam anima non baptizata in Ægypto peccati originalis existens, habet: quæ tyrannide fomitis sic premitur, ut vix alicui demeritis tentationi resistere valeat: adeo ut (juxta Paulum, Rom. 7.) non quod vult bonum hoc agat, sed quod non vult malum. Sed baptismus suscepto, anima vires sumit, tyrannidem excutit: quia & si in mortali nostro corpore peccatum habet, non tamen regnat. Audacior in pugnam exit. Fortius in bello agit. Barbaras nationes, hoc est barbaros motus in carne & ex carne surgentes reprimat, devincit, suæque ditioni subjicit. Sed quum vires defuerit, si corpus caret cibo quo alatur, & roboretur, hinc est, quod filii Israel post transitum maris datur eis cibus cælestis: videlicet manna dulcissimum, quo vescerentur. Sic etiam baptismum suspicienti, datur cibus, quo anima illius alatur, & nutriatur, & ad pugnam roboretur: videlicet gratia, quæ sic est dulcissimus animæ cibus, ut omnem virtutis saporem in se contineat, prout faciebat manna. Hinc enim cum unicus esset cibus, cuiuslibet tamen cibi juxta comedentis appetitum reddebat saporem. At gratia quamvis unicus sit mentis habitus, & unica virtus, tamen omnium cæterarum virtutum saporem retinet, quoniam ad cuiusque virtutis actus cum res exigit, mentem sollicitat & impellit. Nam gratiam nos censemus (& non immerito) idem esse, quod charitas. De charitate vero, cum unica sit virtus, Paulus tamen ait (1. Cor. 13.) eam esse patientem. Non quod sit patientia ipsa, aut benignitas, aut humilitas, cum nihil horum sit: sed quia ad eisdem actus, ad quos istarum qualibet mentem impellit, & eisdem (ut ita dicam) saporibus sicut illarum quæ-

libet, reddit. Bece ergo mirabiles huius lavacri virtutes, quod culpam delet, poenam remittit, fomitis tyrannidem minuit & mitiorem reddit, gratiam ad bene operandum, & vitam promerendum æternam confert. Ideo bene Paulus (Tit 3.) vocavit baptismum lavacrum regenerationis, & revocationis: quoniam baptizatus, ut ex vaticinio Ezechielis supra patuit, recipit cor novum, & spiritum novum. Hoc lavacro lavari se petit Propheta regius, cum ait. *Asperges me domine hyssopo, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealabor.* Hyssopo mundari secundum legem postulat, lavari per baptismum concupiscit, quo lavacro si lotus fuerit, super nivem censef se fore dealbandum. Quibus verbis, & veteris legis cæremonias laudat, & novæ legis sacramenta præfert. Quoniam omnes veteris legis cæremonie quamvis carnem mundabant, non tamen ad animam earum virtus pertingebat. Qui vero baptismate lotus fuerit, supra nivem dealbatur anima ejus, peccato jam per baptismum dimisso. Sed postquam hoc baptismate lota est, eam iterum foedari contingit sordibus diversorum peccatorum, & hoc lavacrum iterum sumi ad remedium non potest: quoniam hic baptismus quasi quedam Christi mortis figura est, ut ait Paulus, sic ad Romanos loquens, cap. 6. *An ignoramus fratres quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vite ambulemus.* Ex quibus & aliis multis, quæ eodem loco Paulus disserit, constat baptismum esse velut quandam mortis & resurrectionis Christi figuram: ita ut quemadmodum in morte Christi peccatum omnium nostrum mortuum est, ita cum quis aqua mergitur, peccatum ejus tunc perit. Et cum aqua emergitur, resurrectionem Christi figuramus: ut quomodo ipse resurrexit clarior & pulchrior quam fuerat prius non habens decorem: sic anima post baptismum reddatur pulchra, quæ prius fuerat turpis, atque deformis. Cum ergo Christus semel tamen pro peccatis nostris mortuus sit, & semel tamen propter nostram justificationem etiam surrexit, oportet, ut nos semel tamen pro peccatis nostris baptizemur. Qui autem secus fecerit, iterato baptizans, hic rursus sibi metipsum (ut ait Apostolus Hebr. 6.) Christum crucifigit. Cum ergo post susceptum baptismum qui sordibus peccatorum intinctus fuerit, non possit iterum baptismate lavari, ut mundetur: Deus pietissimus aliud nobis reliquit lavacrum, videlicet poenitentiam, qua qui lotus fuerit, etiam super nivem dealbatur. Unde postquam Dominus per Esaiam Prophetam veteris legis cæremonias tamquam inutiliter rejecit, in eam locum poenitentiam substituit, (cap. 1.) ait: *Lavamini, mundi estote: auferite malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. Quiescite agere perverfo, discite benefacere.* Deinde virtutem poenitentiae ostendens, ait. *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabitur. Et si fuerint rubra velut vermiculus, quasi lana alba erunt.* In coccino igneus color est, in vermiculo sanguineus. Peccata ergo carnis velut coccinum sunt, quoniam carnis libido (teste Job cap. 21.) ignis est usque ad perditionem devorans, & omnia virtutum gemina eradicans. Peccatum vero homicidii aut cuiuscumque alterius crudelitatis, sunt tamquam vermiculus. Quamlibet ergo gravia peccata per poenitentiam delentur. Nam cum Petrus insinuasset acerbam eorum crudelitatem iis, qui Christum crucifixerunt, dixerunt illi Petro: (Act. 2.) *Quid ergo faciemus?* Quibus Petrus ait.

ait. *Poenitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum.* Ac si diceret. *Lavamini, & mundi estote: quoniam si fuerint peccata vestra velut coccinum, quasi nix dealbabitur.* Quasi nix, inquam, & multo ipsa nive albiore reddentur. Nam de quibusdam iustis unus Propheta dixit: (Th. 4.) *Candidiores nive.* Vides quantum sit pulchritudo anime existentis in gratia, quod Deus amore formæ illius captus, eam in sponfam assumit. Quapropter ego existimo hanc fuisse potissimam peccati angelici causam & originem, quod in seipsum vertit oculos, & suam illam illustrem pulchritudinem, in qua eum Deus condiderat, undique circumspectans, illam ardentissime amavit, & in amorem sui (velut alter Narcissus) depèrit. Multo ergo nive candidior est anima Deo gratia. *Cui ergo comparabo te, aut cui assimilabo te filia Syon?* Certe quoniam nihil erat in corporalibus nive candidius, ideo quivivam assmilavit Elaias dicens: *Si fuerint peccata tua ut coccinum, quasi nix dealbabitur.* Nivi assmilans ipsam gratiam, qua anima per poenitentiam dealbatur. Hæc est illa spiritalis nix, de qua Mathæus (cap. 17.) ait: quod Christi servatoris nostri vestimenta in sua transfiguratione fuerint alba sicut nix, eo quod caro ejus quæ vestimentum est divinitatis, fuerit immunis à peccato, & totius gratiæ decore insignita. David ergo huius lavacri virtutem agnoscens, eo se lavari petit, dicens: *Asperges me Domine hyssopo & mundabor: lavabis me, & super nivem dealabor.* Sed rem istam alius adhuc repetamus. Nam est aliud multo illustrius lavacrum, quod cæteris abluendi virtutem præferat, & sine cuius admixtione & temperamento, nulla est cuiusvis alterius lavacri virtus: nempe sanguis Christi. Hic enim nostras animas ornat. Hic nostras mentes nive candidiores efficit, & auro splendidiore. Aspergi ergo se hyssopo petit, ut mundetur, ad propositum mundationem alludens, quæ aspergione facta per hyssopum sanguine passieris mortui sicutum, sicut. Nam leprosus qui mundari aut purificari volebat, duos passeres jubebatur offerre, & lignum cedrinum, & vermiculum, & hyssopum. (Levi. 4.) Ex quibus passeribus, unus immolabatur in vase fictili super aquas viventes; alius autem vivus cum ligno cedrino, & cocco, & hyssopo tingebatur in sanguine passeris immolati, & hoc aspergebatur septies leprosus, ut jure purgaretur. Leprosus figurat esse hominis peccatoris (ut sermonis prolixitatem evitem) nolo nunc ostendere: præsertim cum illud omnibus (ut arbitror) sit jam apertissimum. Ad ipsius ergo leprosi purificationem interpretandam transeamus. Unus passerum, quos leprosus jubebatur offerre, Christus Salvator noster est, qui per Prophetam (Psal. 101.) ait: *Vigilavi & factus sum sicut passer solitarius in recto.* Solitarius (inquam) quia torcular calcavit solus, qui & sustinens qui simul cum eo contristeretur, non invenit. Hic est ille passer qui invenit sibi domum: quoniam Christus qui in hoc mundo non habuerat ubi caput reclinaret, (Luc. 9.) ascendens in celum, invenit sibi domum, in qua deinceps firma statione maneret. Hinc passer alius jungitur, cum homo aliquis Christo se associat, ut illius vitam imitetur. Nam humilitas sive paupertas sanctorum per passere designatur in Psalmo, (103.) in quo de cedris, idest potentatibus sæculi, quas Deus in Ecclesia planavit, David loquens ait: *Illic passeres nidificabant:* quia scilicet pauperes Christi à divitibus huius mundi necessitate vite percipiunt. Hyssopus cum sit herba quæ pulmonis inflationi (ut medici asserunt) medetur, fidem significat, quæ (juxta Petri testimonium) (Act. 15.) purificat corda hominum. Cedrus, quæ ad

alta se tollit, spem designat, quæ non terrena & transitoria, sed cælestia & perpetua nobis repromittit. Vermiculus denique, qui instat ignis flammescit, charitatem denotat, quæ iustos in Dei amore facit ardentes. Ex his duobus passeribus, unum offert leprosus: cum peccator credit Christum redemptorem nostrum pro nobis in cruce immolatum. Is enim vere immolat Christum, qui illum pro nobis immolatum esse sumitur credit. Sed quod passer iste in vase fictili immolari præcipitur, hoc significat, quod Christum in solo corpore (quod propter fragilitatem vas fictile merito dici potest) immolatum fuisse credendum est. Quod autem super aquas viventes passer immolari præcipitur, hæc tendit, ut juxta scripturarum auctoritatem Christus passus esse credatur. Nam aquæ viventes, sacræ sunt scriptura: quoniam (ut Christus ait) (Joan. 24.) *verba quæ ego loquor vobis, spiritus & vita sunt.* Super aquas ergo viventes passieris consummata est: quando prænuntiationi propheticæ, rerum exhibitio superaddita est: hoc effectus ostendit, quod sermo prædixit. Et ita factum esse, idem Christus ex mortuis resurgens comprobavit, cum discipulos euntes in Emaus alloquens, & aperiens illis sensum, ut intelligerent scripturas, dixit. (Luc. 24.) *Sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & tertio die resurgere à mortuis.* Passer itaque Christus super aquas viventes immolatus est: quia juxta id, quod de eo lex & Propheta prædixerant, Christus Salvator noster in ara crucis pro nobis oblatus est. In huius passeris immolati sanguine vivus passer tingitur: quia per Christi mortem uniuscujusque fidelis anima ad vitam resurgit, & eo moriente, spes nobis redditur æternæ vitæ. Nec solus passer tingi jubetur, sed cum hyssopo & ligno cedrino & cocco: ita, ut eorum quodlibet etiam sanguine passieris immolati tingatur. Tingitur hyssopus, cum fides nostra ex mysteriis dominicæ passionis informatur. Tingitur lignum cedrinum, cum omnis spes nostra in redemptoris nostri sanguine radicatur. Tingitur coccus, cum ex recordatione acerbissimæ illius passionis, illius totis visceribus ardentissime amamus. In sanguine ergo passeris immolati simul cum uno passere, hyssopus, lignum cedrinum, & coccus tingitur, cum de morte redemptoris fides nostra firmatur, spes per illam roboratur, charitas ardentior efficitur. Hoc sanguine septies aspergi jubetur, qui immundus est, ut sic jure purificetur. Septenarius numerus, septiformem Spiritus Sancti gratiam significat. Septies aspergi jubetur, ut remissio peccatorum Spiritui Sancto consecrata esse credatur. In cuius signum, postquam Dominus discipulis suis dixerat, (Joann. 20.) *accipite Spiritum Sanctum, continuo subjecti: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Quo verborum ordine, innuit Apostolus, non potuisse hanc potestatem remittendi peccata habere, nisi prius virtutem Spiritus Sancti accepissent. Homo igitur, qui immundus fuerit, sanguine passeris immolati septies aspergitur: quia quisquis lepra spiritali fuerit infectus, sine Christi sanguine, à peccatis suis non poterit purificari. Nullus enim peccator jure purificari poterit, nisi sanguine passeris huius fuerit aspersus. *Hic est enim agnus Dei, qui solus tollit peccata mundi.* (Joann. 1.) Hic est, quem (ut ait Paulus) (Rom. 5.) *proposuit Deus propitiatorum per fidem in sanguine ipsius.* Nec est aliud nomen sub celo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. (Act. 14.) Sanguine ergo passeris mortui aspergitur leprosus, ut jure mundetur quia sanguine Christi pro nobis in cruce immolati, mandatur omnis peccator. O sanctitas! O potentia sanguinis huius! O beatus sanguis, cuius aspergione lepra nostra

mandatur: cuius praeio qui captivus tenebatur, liber dimittitur: cuius denique tacta mortui suscitantur. David ergo, qui se peccati lepra infectum agnoscebat, ut iure purificetur, hyssopo hoc sanguine tincto, se aspergit, dicens. *Asperges me Domine hyssopo & mundabor: lavabis me, & super nivem dealabor.* Asperges me hyssopo profundissime humilitatis filii tui: ut deinceps non intumescam superbia. Lava me sanguine Jesu Christi filii tui, in quo omnium peccatorum maculas scio facillime posse mundari. Omnes enim sancti laverant stolas suas in sanguine agni. (Apoc. 1.) Quod autem hoc sanguine tinctum fuerit, super nivem dealbatur. Lava ergo me hoc sanguine, ut sic mundus & super nivem dealbatus, possim intra castra tua, & intra muros civitatis tuae Hierusalem recipi, per merita Jesu Christi filii tui. Qui tecum & cum Spiritu Sancto vivit & regnat in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XIII

Auditi mei dabis gaudium & letitiam.

SUNT qui putent David in hoc versu id agere, ut velit, Deum iterare promissiones, quas antea fecerat, cum per Natham Prophetam sic olim locutus fuerat. (1. Paralip. 17.) *Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum ejus: ipse adificabit mihi domum nomini meo, & stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum. Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium.* Et paucis interjectis. *Et fidelis erit domus tua, & regnum tuum usque in aeternum ante faciem meam.* Quas promissiones si Deus iterasset ipsi David, nihil jucundius audiri, nihil laetabilius suis auribus percipere poterat. Et ob hanc causam dictum censent: *Auditi mei dabis gaudium & letitiam.* Verum haec interpretatio mihi non probatur: propterea quod diffidentiam quandam, & haesitationem Davidi tribuere videtur. Nam qui promissionem sibi factam iterare peti, de promittentis fide quodammodo dubitare videtur: quum si primo illius verbo credidisset, secundum exigere non curaret. At David, quamvis adulterium & homicidium commiserit, in religionem tunc & pietatem numquam deliquit, ut de Dei veritate vel tantillum dubitaret. Elio, cum peccato serviebat, etiam in hoc crimine fuisset lapsus, ut Dei verbum fidem derogare non fuisset veritus: postquam tunc ad vocem & condemnationem Prophetæ respicit, non fuit illi hoc tribuendum. Quapropter longe aliter ego sentiens, dico, Davidem tam firmiter Deo semper credidisse, & Deo per os Natham Prophetæ loquenti tam humiliter obedisse, ut gaudium & letitiam tamquam premium fidei suae, & obedientiae, sibi dari postulet, dicens: *Auditi mei dabis gaudium & letitiam & exultabunt ossa humiliata.* Multa David audiverat tam exteriori tam interiori auditu, propter quæ latitudinem exultat, majorem & uberiores sperans se adhuc in posterum habiturum letitiam. Nam à Propheta Natham voce sensibilis ad ipsum loquente audivit sui peccati remissionem. A Domino autem revelante, & interiori ad cor loquente, audivit omnia quæ pro totius generis humani peccato delendo facienda erant, quo videlicet initio, & quibus mediis, humani generis salutem in medio terræ Deus operari decreverat. Et quia his omnibus indubiam praestitit fidem, nec Deo interiori docenti resistens, nec Prophetae exteriori loquenti repugnans, ideo dei sua omniumque salute securus ac cæteris exultat, sperans in suæ fidei premium dari adhuc in posterum gaudium & letitiam

& exultationem. Ideo ait: *Auditi mei dabis gaudium & letitiam.* Auditus nomine, in sacris litteris aliquando denotatur fides, aliquando obedientia. Et de utroque auditu possumus hæc Davidis verba interpretari. Fides denotatur per auditum: quoniam (ut ait Paulus) (Rom. 10.) *fides est ex auditu.* Et apud Joannem (cap. 5.) Christus ait. *Qui misit me pater, ipse testimonium perhibuit de me: neque vocem ejus unquam audivisti.* De quo autem auditu loqueretur, exposuit subjungens: *Quia quem misit ille, huic vos non creditis.* Et cum Moyses mittitur à Deo ad Pharaonem, ait. *Ecce filii Israel non audiunt me, & quomodo audiet Pharaon?* Cum ergo David ait, *Auditi mei dabis gaudium & letitiam:* idem est, ac si diceret. Fidei quam praestitisti mihi, quæ à te & Propheta tuo audivi, dabis in premium gaudium & letitiam. Cum enim premium audivi à te ea quæ mihi revelasti, statim credidi, & solo auditu letatus sum, spero ut postea me etiam visu lætifices, eo quod dictis tuis crediderim. Sed jam videamus quæ & qualia sint illa, quæ Propheta audivit, & solo auditu animam illius lætificaverunt. Certe omnia quæ usque ad consummatam humani generis redemptionem Deus ante fieri decreverat, & nunc jam completa sunt. Omnia enim hæc idem Propheta, tamquam à Deo edoctus, antequam facta fuissent, prædixit. Primum omnium quod & nostræ redemptionis initium fuit, est incarnatio Dei. Hanc autem David prædixit. (Psal. 17.) sic inquit. *Descendet sicut pluvia in vellus.* Non sicut pluvia super terram: quoniam super hanc descendens pluvia, sonum reddit, super lanam autem, & in vellus descendens, nullum sonitum facit. Mollities lanæ causat, ut nullus sit sonus pluviae descendentes. Quia ergo venit filius Dei non cum fulgure, aut tonitruo; neque cum strepitu, neque nuda deitate, ideo ait: *Descendet sicut pluvia in vellus.* Quoniam nemine sciente, sed silentio, & tacite venit: ita ut ipsum etiam demonem lateret introitus in uterum virginalem. Ostendit Christi baptismum, cum ait. (Psal. 28.) *Vox Domini super aquas, Deus majestatis innotuit.* Ibi enim vox patris audita est. Apostolorum electionem prædixit his verbis: (Psal. 44.) *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii.* Declarat Christi abstinentiam cum ait. (Psal. 108.) *Genus mea infirmata sunt à jejuniis.* Expressit Christi prædicationem, dicens: (Psal. 77.) *Aperiam in parabolis os meum.* Quod de Christo dictum esse constat: qui (ut Evangelia testantur) in parabolis locutus est. Dixit Judæorum ad versus Christum pugnam, sic inquit. (Psal. 109.) *Cum loquebar illis, impugnabant me gratis.* Prodit consilia eorum mala adversus Christum, dicens: (Psal. 37.) *Qui iniquitates mala mihi locuti sunt vanitates, & dolos tota die meditabantur.* Magnificam illam panum distributionem, & suum ibidem ministerium explicavit, dicens: (Psal. 80.) *Manus ejus in cophino servierunt.* Manifesto ostendit à discipulo prodendum, cum ait. (Psal. 40.) *Homo pauper me in quo speravi, qui edebat panes meos mecum, magnificavit super me supplantationem.* Prædixit corpus Christi nobis in cibam relinquendum, sic inquit. (Psal. 22.) *Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors & miserator Dominus israhel dedit timentibus se.* Ostendit vulnera pedum & manuum, cum ait. (Psal. 116.) *Foderunt manus meas, & pedes meos.* Prodi Judæorum insultationes, cum illorum nomine, hæc dixit. (Ibidem) *Speravi in Domino, eripiat eum, salvum faciat eum, quoniam vidit eum.* Dicit cibum & porum, (Psal. 68.) his verbis. *Et dederunt in escam meam fel: & in sitim me potaverunt me aceto.* Sepulturam vero talibus annuntiat verba. (Psal. 87.) *Posuerunt me in la-*

lacu inferiori. Nec tamen resurrectionem subiecit, inquit. (Psal. 115.) *Non derelinque animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Sed & ascensionis illius non est oblitus. Sic enim de illa ait. (Psal. 46.) *Ascendit Deus in jubilo, & Dominus in voce tubæ.* Thronum illius in gloria sedentis, sic exprimit. (Psal. 106.) *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Dominus Spiritus Sancti post ascensionem ejus in celo manifestavit, dicens: (Psal. 67.) *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus.* Adventum denique ad iudicium expressit, his verbis. (Psal. 49.) *Deus manifestus venit: Deus noster, & non silebit, ignis in conspectu ejus exarscit, & in circuitu ejus tempestas valida.* Hæc sunt quæ David audivit à Domino, quibus auditis, mirum in modum lætatus est. Audiens autem non sic lætatus est quasi non credens: contigit enim illi qui fabulas audiunt. Hi enim quamvis nullam diætes præstent fidem, audientes tamen lætantur. David autem non sic: quoniam audiens hæc tam alta mysteria tamque proficua humano generi, cum audiret, gavisus est, & auditis, præbuit fidem, credens ea omnia sic futura, quemadmodum audiverat. Et quia sic credit, sperat fidei suæ dandum premium, gaudium videlicet, & letitiam, & exultationem, ideo ait: *Auditi mei (hoc est) fidei meae dabis gaudium & letitiam, & exultabunt ossa humiliata.* Premium siquidem fidei est visio, & inde sequitur gaudium & letitia. Unde Psalmus (44) *Audi filia & vide.* Ac si diceret. Crede, & videbis, quoniam nisi crederis, non videbis. Videns autem gaudet, & lætatur, & auditui tuo dabitur gaudium & letitia. Potest etiam hic Psalmi versiculus exponi de obedientia quemadmodum de fide: quoniam auditus nomine in sacris litteris etiam obedientia designatur. Hoc autem ex quarto libro Regum (cap. 17.) aperitissime colligitur, ubi de obstinatione & inobedientia Judæorum Dominus loquens ait. *Qui non audiverunt, sed induraverunt cervicem suam, juxta cervicem patrum suorum, qui noluerunt obedire Domino Deo suo.* Quo loco constat, audire, positum esse pro obedire. Et in Esaia Propheta (cap. 33.) dicitur. *Qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, iste in excelsis habitabit.* Quia enim nomine sanguinis (ut in expositione alterius versiculi hujus Psalmi postea dicemus) peccatum significatur, ille dicitur non audire sanguinem, qui non obedit peccato. Ille vero obturat aures ne audiat sanguinem, qui omnem peccati occasionem evitat, ne incidat in peccatum. Auris enim vis est per quam ingreditur sonus, ut percipiatur, & occasio peccati porta lata est, per quam peccatum ipsum ingreditur. Et quia ad vitam æternam consequendum oportet non solum peccatum, sed etiam peccati occasionem evitare, ideo ait: *Qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, iste in excelsis habitabit.* Ille enim vere in excelsis gloriæ habitabit, qui omnes obstruxerit, quibus anima possit ad peccati consentum pervenire. Contra vero de obedientia Deo & prelo præstanda præcipitur in figura servo hebræo. (Exod. 21.) qui septimo anno rejiciebat libertatem quam illi lex concedebat, ut auris ejus subula perforaretur. Servus hebræus, qui sponte servituti suscepit jugum, signa est ejus libertas, qui propriam relictis libertatem, alterius voluntati & potestati se tradidit. Hic enim cum liber esset, sua tamen voluntate factus est servus. Hæc auris præcipitur subula perforari: ut videlicet per via præcepto illius, cuius voluntati se ultro subiecit. Justum est enim ut qui obedientiam promisit, sic promptus & paratus ad præstandam ea quæ promisit. Dicit ergo nunc Propheta: *Auditi mei dabis gaudium & la-*

titiam. Ac si diceret. Quia tuis mandatis obedivi, dabis mihi gaudium & letitiam. Hoc est enim obedientie premium, vita scilicet æterna, in qua est plenum gaudium, & perfecta letitia. Nam juveni querenti quid faceret, ut vitam mereretur habere æternam, respondit Christus. (Matth. 16.) *Si vis ad vitam ingredi, sero mandata.* David ergo mandata Dei servavit, qui ait. (Psal. 118.) *Ad omnia mandata tua dirigebat.* Et iterum. *Viam mandatorum tuorum curavi.* Nec illa servavit invitus, sed sponte: quoniam mandata Dei (ut ait) dilexit. Et rursum. *Meditabor in mandatis tuis quæ dilexi.* Quod si unum aut alterum transgressus sum, Uram interficiendo, & uxorem illius rapiendo: cum tamen de hoc corruptus fui per os Natham Prophetæ, non contradixi, non murmuraui, sciens quod melior est manifesta correctio, quam amor absconditus. (Prov. 27.) *Et qui odit correctionem, minuatur vita.* (Ecl. 19.) Non enim sum talis, ut peccatum meum defendam, & qui correctionem meam audire nollem. Non est enim infirmitas mea talis, ut se tangi non permitat. Libenter permitto medicum meo vulnera contectantem. Libentissime audio eum qui me corripit, sciens quod meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis. (Prov. 27.) Cum enim me Propheta tuus de peccato commissio redarguisset, non defendi peccatum meum: immo postea agnovi. Cum me dixit filium mortis, patienter tuli, libenter audivi, non minatus sum illi, prout faciunt multi illi, qui eo quod se justos existimant, ab omnibus probari & extolli appetunt, & ideo à nemine corripit sustinent. Et hinc evenit, ut si quis eos arguat, in illum tantquam hostem sævant. Ego autem non sic, sed patienter reprehensionem audivi, ideo audire merui, quod tranquillisses peccatum meum. Spero etiam quod unus ero ex illis qui te vocantem audient, arguo dicentem: (Matth. 23.) *Venite benedicti patris mei percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* Tunc enim magna erit gaudium, magna quæ letitia. Gaudium inquam plenum, quod nemo poterit auferre: quia delationes quæ sunt in dextera tua usque finem. (Psal. 13.) *Justum est enim, ut qui transierunt per ignem amoris, & aquam lachrymarum, educantur postea in locum refrigerii.* Justum est etiam, ut qui hic lægent, postea consolentur. Hoc hæc consolatio, & hoc refrigerium, est letitia illa & gaudium illud, quod tu dabis auditui meo. Ego enim ploravi, & flevi peccatum meum, audivi Prophetam tuum reprobandum mihi, non contradixi, sed potius sustinui, audivi, cognovi peccatum meum, ideo dico: *Auditi mei dabis gaudium & letitiam, & exultabunt ossa humiliata.* Quibus veris corporis & animæ gloria expressit, quoniam gaudium, corpori convenit, letitia vero, animæ. Utrumque autem iudicio peractum, hominibus dabitur: quamvis modo solæ animæ habeant gloriam suam. Præter quod per Esaia Prophetam (cap. 49.) de omnibus beatis dicitur. *In terra sua duplicia possidebunt.* Duplicia enim possidebunt: quia gloria animæ & corporis suscipient. Verum hæc in terra sua suscipient, non in peregrinatione ita in qua exulant. Hæc sunt illa duplicia vestimenta, de quibus dicitur, quod omnes domestici sapientie vestiti sunt duplicibus. (Prov. ult.) Vera Dei domus ecelum est, sicut ipse ait. *Cælum mihi sedes est.* (Psal. 62.) Domestici sunt omnes homines beati, qui vestiti sunt duplicibus, gloria scilicet corporis & animæ. Quod sentiens regius Psalet alibi dicebat. (Psal. 62.) *Sitivi in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.* Anima & caro Deum sitiunt: quia utrumque quierem suam desiderant. Anima enim Deum videre cupit, caro vero immortalita-

34
 tis gloria vestri concupiscit. Sed hæc non dabitur carni-
 ane iudicium factum, hoc enim tempore (ut dicitur
 in Apocalypsi cap. 6.) dantur singule stolæ: quia solis
 animabus æternæ beatitudinis gloria confertur, & ex-
 pectant donec compleatur numerus fratrum, hoc est,
 donec compleatur numerus electorum in æterna
 felicitate locandas: quo impleto, erit iudicium, &
 generalis resurrectio: & tunc dabuntur cuilibet binæ
 stolæ, hoc est, animæ & corporis gloria. Sic enim per
 Elaiam Prophetam, cap. 15. dicitur. *Gaudium & lætitia*
erit in ea. Hanc igitur duplicem stolam David sperans, ait.
Auditui meo dabis gaudium. Sed quod ait: & *exultabunt*
ossa humiliata: de animæ virtutibus intelligendum est:
 quoniam virtutes sunt animæ robur, quemadmodum ossa
 corporis. Hæc sunt ossa, de quibus idem Psaltes alibi
 ait. (Psal. 137.) *Omnia ossa mea dicent, quis similis tui*
Domine? Hæc ossa humiliantur in peccato: humiliantur
 quidem, quia in certamine contra hostes succubuerunt,
 & ideo manent viribus suis destitutæ. Fides mortua est,
 spes diminuta, caritas perit, caritas erga proximum
 evanuit. Nonne perit castitas, cum alienæ uxori adhæs?
 Nonne friguit caritas, cum virum innocentem occidere
 iussi? Nonne perit gratitudo, cum Uriam servum mi-
 hi fidelem, qui pro me in castris militabat, non solum
 non donavi præmio, sed morte affeci? Sed hæc virtutes,
 quæ in hac vita tam humiliatæ sunt, ut vitii aliquando
 succubuerint, in gloria tamen cœlesti, infractam & in-
 victam suscipient de manu Domini fortitudinem: quoniam
 tunc nulla erit vitiorum pugnantium infestatio. Siquidem
 factus est in pace locus ille. (Psal. 75.) in quo contracta est
 omnium vitiorum potentia, ut jam non sit illis arcus oc-
 cultæ tentationis, vel gladius publicæ, qua duplici arma-
 tura adversus nos pugnare consueverant. Et quia in tan-
 ta pace virtus requiescit sine ulla belli sui formidine,
 ideo mirum in modum exultant. Et hoc est quod ait. *Et*
exultabunt ossa humiliata. Et quia hæc omnia dantur (ut
 credit) in præmium auditui, ideo dicit. *Auditui meo da-*
vis gaudium, &c. Audite ergo, & credite. Audite, hoc
 est, obedite præceptis Domini. Audite quæ vobis Deus
 intus in corde loquitur: nec contradicatis inspirationibus
 ejus. Quod si forte propter præterita peccata vos prophe-
 ta aliquis reprehenderit, patienter sustinere: cognoscen-
 tes peccatum, libenter audite: & tunc transferet à vobis
 Dominus peccatum vestrum, & postea dabit vobis gau-
 dium & lætitiā. Quam nobis præstare dignetur Jesus
 Christus: qui cum Patre & Spiritu Sancto, &c.

HOMILIA XIV.

Averte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates

HOC petit David sibi consulens, & Deum reveren-
 tus, quod quia plurimum jam æstimat, summa
 cum reverentia illum tractare cupit. Propter Dei reve-
 rentiam petit ab eo, ut avertat ipse faciem à peccatis: ne
 videlicet solo aspectu offendantur, rem tam fedissimam
 inspicens. Sicut enim Petrus confortium suum declina-
 re petit, dicens (Luc. 5.). *Difcede à me, quia homo pec-*
cator ego sum. Qui enim aliquem nimium delicate diligit,
 nolle illum, vel minima offensione lædere. Sic etiam David
 nunc mihi fecisse videtur, qui peccata sua fedissima &
 horros plena esse cognoscens: ne Deus illorum, aspectu
 offenderetur, petit, ut Deus faciem suam avertat à pec-

catibus illius. Sibi etiam ipsi consulens, hoc petit: ne vide-
 licet propter peccata sua, Dei confortio indignus habeat-
 ur. Et merito: quoniam nullus, in quo fuerint peccata,
 reperta, permittitur intrare ad gaudium & lætitiā illius ci-
 vilitatis, in qua nihil inquinatum intrabit. Quapropter
 David, qui peccata sua agnoscebat, volebat ea sic esse ab-
 condita, ut nullatenus inveniri possent & videri: ne forte
 visa, gaudii & lætitiæ viam præcludant. Ideo ait. *Averte*
faciem tuam à peccatis meis. Ac si diceret: Noli peccata
 mea aspicere: quoniam si ea aspicere vis, & me juxta il-
 la iudicare contendis, fordidum & abominabilem me exis-
 timabis, quo fiet, ut tamquam leprosum à confortio cœ-
 lestium virtutum me separes, atque extra muros civitatis
 illius sanctæ, in qua tu cum sanctis tuis in æternum ha-
 bitas, me ejicias. Quare oro te, ut peccata mea non res-
 picias, sed projicias ea post tergum tuum. Verum quid ait
 David? Quid petit? Numquid ignorat, quod oculi Do-
 mini contemplantur bonos & malos? nihilque esse tam ab-
 ditum atque retrusum, quod in conspectu ejus non sit?
 Quo pacto ergo petit ut avertat faciem suam à peccatis
 ejus? Petit inquam, ut peccatorum ejus non recorde-
 tur. Nam in ea quæ bene & exacte cognoscere volu-
 mus, oculos intendimus, & faciem objicimus: ea autem
 quæ à tergo tenemus, videre non possumus. Et inde or-
 tus est sermo, ut quorum bene recordemur, dicamus in
 faciem semper & coram oculis habere. Quorum autem
 oblitus sumus, ea post tergum projecta esse dicamus. Cum
 ergo ait: *Averte faciem tuam à peccatis meis,* petit, ut
 peccatorum illius non recorderetur. Et merito hoc petit:
 quoniam qui alium offendit, & se offendisse cognoscit, ac
 pœnitet, vehementer optat, ut ab eo læsus offensiois
 propriæ obliviscatur: quoniam toties credit renovari of-
 fensam, quoties illius recordatur offensus. David, ergo,
 qui Deum offenderat, & peccatum suum cognoscebat, &
 illud contra se statuebat, ut de illo pœniteret, hoc unum
 optat, ut Deus, quem offenderat, peccatorum ejus obli-
 visceretur, ne videlicet aliquando in posterum peccata
 sua Deus illi exprobet: nam & hoc nimis durum si con-
 tingeret, existimare. Sed dicit forsitan aliquis, quo pacto
 fieri potest, ut Deus obliviscatur, qui omnia cognoscit,
 cui nihil est præteritum, sed omnia presentia? cui nihil
 mortuum, sed omnia vivunt? Non est enim Deus talis, ut
 oblivisci possit sicut nos, quos parvo temporis curriculo
 interjecto, eorum, quæ antea probe cognoscebamus, sta-
 tim memoria subterfugit. Verum nos non dicimus Deum
 peccatorum oblivisci: quasi jam propter oblivionem nes-
 cijt aliquem peccatorem hæc aut illa peccata commisisse,
 sed quia & si hoc sciat, deprecatur tamen nullam de illis
 vindictam sumere. Et hic loquendi tropus visitatissimus
 est, non solum in sermone latino, sed etiam lingua vul-
 gari, præsertim nostrâ, hoc est Hispana: ut videlicet
 eum, qui paratus est injurias vindicare, dicimus injurias
 memorem, & injurias observantem. Rursum eum qui in-
 jurias parca, dicimus injuriæ immemorem, & injurias
 minime observantem, non quasi jam nesciat se ab illo of-
 fensum: sed quia & si agnoscat, non tamen hæc cognitio
 illa tendit, ut cor ad vindictam sollicitet. Deus ergo tunc
 peccatorum oblivisci dicitur, cum illa jam non ad pœnam
 nullam impunit. Cum ergo David ait, *Averte faciem tuam*
à peccatis meis, hoc petit, ut Deus iniquitatum ejus non
 recorderetur: hoc est, ut nolit ea morte punire. Propter
 quod alia translatio ait. *Averte faciem tuam à peccatis*
meis. Unde constat sibi faciem pro ira poni, nec immerito,
 cum ira hominis maxime ex facie agnoscat. *Cor enim hor-*
mi-

35
 minis mutat faciem ejus. (Ecc. 13.) Et hinc oritur illa que-
 rela quam habebat Jacob adversus Laban, dicens: (Gen.
 31.) *Non enim me respicit sicut hari & nudus fertur.* Putat
 quidem Jacob crimen quod corde Laban conceperat, in
 vultu manifestari: quoniam torum illum atque trucem
 aspectum quandam irati animi imaginem esse consuebat.
 Quia ergo ira in facie exprimitur: ideo facies ponitur pro
 ira, quam ipsa facies exprimit. Sic enim idem Psaltes ali-
 bi capit, dicens. (Psal. 20.) *Pone eos ut clibanum ignis*
in tempore vultus tui. Hoc est, in die iudicii & iræ tuæ.
 Nam & hoc verba sequentia aperte ostendunt. *Dominus*
(inquit) in ira sua conturbavit eos, & devoravit eos ignis.
 Hæc faciem iræ, petit averti à peccatis suis David, dicens,
Averte faciem tuam à peccatis meis. Quod idem est, ac si di-
 ceret. Noli peccata mea respicere, non sis memor eorum
 amplius. Non intendas in ea faciem iræ tuæ. *Nam si iniqui-*
tates observaveris Domine, Domine quis sustinebit? (Psal.
 127.) Si enim peccata semel commissa, quamlibet vera
 succedente pœnitentiâ, tu ad punitionem observare decernis,
 nullus est qui subsistat. Nullus est qui de æternæ vi-
 tæ afflictione non desperet, si Deus peccatoribus veniam
 negaret. Si solummodo offenderet severitatem, non etiam
 adhiberet pietatem, nemo æternæ felicitatis gloriam ex-
 pectaret, nemo iusti examinis pœnam sustineret. Non est
 certe homo qui non peccet: neque infans, cujus est unius
 diei vita super terram. Si ergo semper observares iniqui-
 tates ad pœnam, nullus esset homo qui non deiceretur ani-
 mum suum: cum nullus sit qui non peccet. *Quia tamen*
apud te propitiatio est, & propter legem tuam sustinui te Domi-
ne. Hæc est lex tua, quam delinquentibus in via dedisti:
 ut videlicet qui confessus fuerit peccata sua, misericordiam
 consequatur. Propter hanc legem sustinui te Domine, &
 in te uno confido, quod præces peccatis meis. Nisi enim
 hanc tuam misericordiam legem agnovissem, jam dolore
 animi defecissem. Ego autem confessus sum peccatum
 meum: quapropter spero quod juxta legem tuam miseri-
 cordiam mihi præstabis. Et in hac tua misericordia con-
 fidens, peto, ut avertas faciem tuam à peccatis meis. Da-
 vid enim peccata sua semper coram oculis suis habebat: ut
 eorum & iudicium, & turpitudinem, & horrorem, & mali-
 tiam consideraret, & inde doloris occasionem sumeret: ideo
 precatur, ut Deus faciem suam ab illis avertat. Scit enim,
 quod si quis peccatorum suorum obliviscitur, Deus pec-
 catorum illius maxime recordatur. Et quanto magis ini-
 quitates suas peccator considerare refugit, tanto magis eas
 conspectui divinæ majestatis opponit, ut eas videat, &
 puniat. Si quis vero peccatum suum agnoscit & confite-
 tur, Deus illius obliviscitur. Tunc enim nostrum pecca-
 tum Deo celamus, cum illud sacerdoti per confessionem
 manifestamus. Sic enim Deus per Ezechielem Prophetam
 promittit dicens: *Si impius egerit pœnitentiam, ab omnibus*
peccatis suis que operatus est, & custodierit omnia præcepta
mea, & fecerit iudicium & justitiam, ista vivet, & non
morietur. Omnium iniquitatum ejus non recordabor. Non re-
 cordari se ait, pro eo quod est nolle morte æterna punire.
 Nam hoc, verba quæ sequuntur aperissime ostendunt,
 quibus ait: *Numquid voluntatis mea est mors impij, & non*
magis ut convertatur & vivat? Verum hoc admonitione
 dignum est, ut quisque consideret, qua conditione, &
 quibus legibus Deus promittat se non recordaturum pec-
 catorum quæ impius operatus est. Si impius (inquit ille)
 egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, que operatus est,
 & custodierit omnia præcepta. In quibus verbis duo exigere
 videtur Deus. Primum, ut propeccatorum pœnitent. Alte-

rum, ut in posterum omnia Dei præcepta custodiat. Ex
 quo loco non parvum argumentum sumere possumus con-
 tra Lutherum, qui ait, optimam, & exactam pœnitenti-
 am esse novam vitam. Si optima pœnitentiâ est (ut Lu-
 thero placet) nova vita, nullum erat opus post verbum
 de pœnitentiâ, addere custodiam præceptorum. Cum er-
 go nullum Dei superfluum verbum, oportebit fateri pœni-
 tentiam referri ad præterita, custodiam præceptorum ad
 futura. Ita, ut intelligamus, quod duo hæc Deus exigit
 à peccatore, ut peccatorum ejus non recorderetur. Primum
 est, præteritorum pœnitentiâ. Alterum, custodiam manda-
 torum Dei. Sed vera & exacta pœnitentiâ utrumque am-
 plectitur, præteritum & futurum. Unde convincitur,
 pœnitentiâ esse peccatorum omnium torum, quo peccata
 delentur de memoria divina. Hoc pertinet videtur
 illud, quod post victoriam, quam Josue de Amalechitis
 habuit, Dominus promittit Josue, dicens: (Exod. 17.)
Ego delebo memoriam Amalech de sub cælo. Amalech inter-
 pretatur gens bruta, & denotat peccatum: quia hoc bruti
 nos similes efficit. Non enim ob aliam causam homo
 comparatur est jumentis insipientibus, & similis factus est
 illis: (Psal. 48.) nisi quia non intelligens Dei bonitatem &
 virtutem, illi præferre creaturam non erubuit. Ideo Pro-
 pheta (Psal. 31.) peccatores admonens, ait: *Nolite fieri*
sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Ille sub Ama-
 lech vivit, in cujus mortali corpore (ut ait Paulus Rom. 6.)
 regnat peccatum. Cum Amalech pugnat, qui vitii
 resistit. Vincit Amalech, qui malæ vitæ præteritæ pœnitenti-
 qui omnia peccata desert, & illa coram sacerdote confite-
 tur. Habita victoria, Deus promittit se delentur memo-
 riam Amalech: quia habita vera pœnitentiâ, omnium deli-
 ctorum Deus non recordatur. Si tu Amalech deviceris,
 Deus continuo memoriam ejus delebit. Pugna ergo tu ad-
 versus Amalech, & pro victoria contende. Sed quo mili-
 te, quo duce, quo ordine bellis, hanc assequeris victo-
 riam, audi. Hujus pugna dux fit confessio, cui soli om-
 nis victoriæ laus tribuetur: quoniam hæc est que hostes
 quoque fortissimos trucidat sæpe, & in fugam vertit sæ-
 pissime. Sub hoc duce, tres ordines in aciem constituit. In
 primo loco constituit timorem pœnæ. In secundo, amorem
 Dei. In tertio, dolorem culpæ. Verum ne his sic in acie
 dispositis fugere contingat: alios tres ordines à tergo collo-
 cabis, qui prioribus favent, illosque ad bellum urgeant.
 Spes veniæ à tergo favet timori, quoniam facile deiecerit
 timor, nisi illum sublevet spes. Amorem Dei foveri con-
 sideratio bonitatis illius. Quomodo enim timorem pœnæ
 causæ immensa Dei potentia, sic amorem illius pietas &
 misericordia. Denique dolorem culpæ juvat consolationis
 spes. *Beati qui lugent* (inquit veritas Matth. 5.) *quoniam*
ipsi consolabuntur. Si hunc bellordinem servare volueris,
 facile peccata omnia vinces. Si ergo vis, ut Deus pecca-
 torum tuorum non recorderetur, tu illorum memineris. Si
 vis, ut Deus avertat faciem suam à peccatis tuis, statue
 tu illa ante faciem tuam, & ad Davidis exemplum, pone
 illa contra te semper. Sed ut hæc plene fiant, oportet, ut
 peccator omnium peccatorum, quæ operatus est, pœni-
 teat: quoniam si minimum eorum (modo illud lethale sit)
 placeat, vel etiam si displiceat, fuerit sacerdoti celatum,
 hoc solum efficit, ut Deus omnium aliorum recorderetur,
 & in ea omnia faciem iræ suæ intendat. *Si impius* (inquit
 ille, Eccl. 18.) *pœnitentiam egerit de omnibus peccatis suis,*
que operatus est. Ut ergo Deus omnium obliviscatur, ope-
 ret, ut tu de omnibus doleas, & omnia confitearis. Deus
 enim aut omnibus peccatis parcat, aut nulli. Nam de illo